ANALECTA
ENTOMOLOGICA

AUCTORE

JOH. WILH. DALMAN

MED. DOCT. PRÆFECTO MUSEI REG. ACAD. SCIENT. HOLMIENSIS
IN INSTIT. MED. CHIR. CAROL. HIST. NAT. ADJUNCTO REG. COLLEG.
SANIT. REG. ACAD. SCIENT. HOLMIENSIS SOC. CÆSAR. NAT.
CURIOS. MOSQUENSIS ACAD. CÆSAREO-LEOPOLD. CAROL.
NAT. CURIOSORUM SOC. PATR. HOLM. NEC
NON SOC. PHYSIOGR. LUND. MEMBRO.

CUM TABULIS IV ÆNEIS

HOLMIÆ
TYPIS LINDHIANIS
1823

S

INCLYTO VIRO

P. A. LATREILLE

ENTOMOLOGORUM

NOSTRI ÆVI

FACILE PRINCIPI

D. D. D.

AUCTOR

Sequentes pagellas peritorum censuræ subjecturi pauca tantum habemus præfanda. Primum est monendum, non omnes insectorum descriptiones, quæ hic sistuntur, esse omnino novas. Sunt quæ jam pridem inveniantur in variis partibus Actorum Regiæ Academiæ Scientiarum Holmiensis; quas vero colligendo commodis Entomologorum non male consulere nobis visi sumus, cum præsertim Acta ista non nisi sero et paucis tantum exemplaribus ad aliarum regionum Entomologos pervenire videantur; nobismetipsis vero in nova opera nonnulla emendandi et addendi copia sit facta. Deinde in novis insectis describendis, quorum multo major numerus hac opella continetur, hoc nobis erat propositum, ut ex magna copia, qua omnia fere Musea nunc temporis abundant, ea seligeremus, quæ aliqua ratione recedant a formis notorum generum normalibus. His adjecimus nonnulla nova Svecana, quæ præ ceteris videbantur insignia.

Fortasse descriptiones nostræ quibusdam videbuntur nimis prolixæ et minutiosæ, qui admirantur FABRICII et aliorum stilum præcisum et quasi argutum. De tali vero elegantia est fere desperandum, si accuratioris distinctionis gratia ad singularum quarumque partium ulteriorem definitionem descendere velis. Nos quidem non tam lectoris delectationi quam scrutatoris desideriis consulendum putavimus; atque etiam id compendii missum fecimus, per quod eodem et chartæ et temporis dispendio

multoties plures species breviter definiendo absolvere potuissemus, hoc tantum secuti, ut quæ describeremus, etsi pauciora, essent saltem distincte et accurate adumbrata. Experientia edocti sumus in Museis copiosioribus non raro occurrere species evidenter distinctas, quibus auctorum descriptiones breviusculæ congruant sine discrimine, nec nisi ex autopsia posse cognosci, qualem quisque auctor designare voluerit. Nos igitur descriptionis totum momentum non positum arbitramur in proponendis characteribus evidentioribus, quibus distinguatur species a ceteris notis ejusdem generis, hoc enim diagnosi est absolvendum, sed talem volumus ut possit docere differentias, quando quæstio erit de novis omnino speciebus vel varietatibus.

Postremo inter centum et quinquaginta insecta, quæ hic sistuntur tanquam nova, si qua sunt ab aliis auctoribus jam notata, nemo æquus judex severiorem sententiam feret. Entomologorum descriptiones dispersæ sunt in tam multis et variis operibus, quorum, ob intervallum quo disjungimur a reliqua ubi litteræ vigent Europa, non sine difficultate et longo temporis tractu copia nobis potest fieri, ut ejusmodi incommoda vix possint evitari. Quando enim tandem nobis advenit opus quoddam entomologicum, quod tanquam omnium maxime copiosum videramus laudatum, non raro accidit, ut eodem tempore certiores fiamus de alio magis etiam novo et copioso, quod est publicatum per id temporis quo prioris adventum expectaremus. Scientia quæ sit omnibus partibus absoluta, dum incitatis passibus desideratum ad incrementum procedit, nos fugit, et tanquam Tantalum quendam spes nostra nos frustrat.

CONSPECTUS.

Novæ Species.

I. Extraneæ.

Lepidoptera.

*) Ad calcem:
1. Amarygmus amethystinus.
2. speciosus.
3 micans.

*) Ad calcem:
1. Myrmeleon Gigas.
2. libelluloides
3. Leopardus.

DIOPSIS,

Dipterorum Genus,

denuo examinatum; cum trium novarum specierum descriptionibus et figuris *).

Diopseos genus primum propositum est et descriptum a LINNÆO in dissertatione academica *de Bigis Insectorum*, quam edidit anno 1775, Resp. ANDR. DAHL. Continet novorum generum *Diopseos* et *Pausi* singulas species satis subtiliter descriptas, cum istorum insectorum figuris bene completis. Ultima hæc exstitit civis nostri immortalis dissertatio academica, et quodsi LINNÆO hoc, ut videtur, erat consilium, ut vellet absolvere illustrem suum cursum entomologicum per productum quoddam insigniter singulare, vix quidquam magis singulare excogitari potuit quam *Pausus* et *Diopsis*.

Nam oculorum et antennarum situs in capitis quibusdam cornubus protensis immobilibus, est configuratio in *Diopsi* ita unica, ut vix in ullo alio insecto quidquam simile possis invenire per universam insectorum innumerabilem turbam, si exceperis *Podophthalmi* admirandam structuram inter Crustacea, et *Achiæ* genus Fabricianum, Diopsi admodum simile, nec diversum nisi antennarum situ in ipso capite, nequaquam vero, ut in Diopsi, in cornubus prope oculos. Nec vero mihi contigit ex ipso animali, nec per picturas colligere satis distinctam istius generis notitiam; contra peropportune accidit, ut possem examinare Diopseos generis tres novas species, quas in Sierra Leona invenerat Adamus Afzelius, atque describere et delineare benigne mihi permisit, unde mihi copia facta est addendi varia quæ ad characterem et descriptionem generis perti-

*) Species has primum descripsi et figuris illustravi in Actis Reg. Acad. Scient. Holm. anno 1817, pag. 211. Tab. VII, cujus opellæ versio Tudesca cum figuris apparuit in *Iside* quam edit OKEN. (1820, V, p. 501. Tab. 5.)

nent. Nec vero mihi licuit examinare partes oris interiores, quod eo magis fuisset optandum, quod Fabricii et Latreillii descriptiones non ex omnibus partibus inter se conveniunt.

Et oris ratio et binarum alarum atque halterum existentia persuaserunt Linnæo Diopsin in Dipteris esse ponendam, admodum tamen diligenter probare nititur, cur ad Ichneumonis genus non sit referenda. Latreillius eam posuit in familia sua nimis sane numerosa *Muscidum*, quam quum Fallenius optimo jure in plures distinguendam censuisset, Diopsi locum in familia *Ortalidum* ex sua opinione assignavit, cum quibus tamen meo quidem judicio non optime militare potest, siquidem antennis valde brevibus atque rotundatis ad *Micromyzidum* familiam propius accedere videatur, et tota forma locum a Latreillio prope *Calobatam* adoptatum retinendum suadeat. Melius forsan ad propriam familiam Diopsis cum Achia amandanda.

Ratio tam insolens in situ organi cujusdam sensus, quam hic oculorum in extremitate cornuum capitis, ad victus modum valde singularem pertinere videtur. Observatio mihi se obstrusit, insectorum oculos valde prominentes semper fere vitam super sabula vel ad ripas indicare, ut colligere licet ex *Cicindela*, *Elaphro*, *Omophrone*, *Steno* inter *Coleoptera*, — *Salda*, *Alydo* inter *Hemiptera*. Ceterum oculorum prominentia præsertim insectis rapacibus videtur esse propria, et adaptata ad istum vivendi modum, ut in jam supra recensitis et in *Libellulinis*, *Hemerobio* et aliis. Oris tamen ratio in Diopsi a præda capienda aliena videtur.

Dolendum sane, quod omni notitia de genere vitæ et metamorphosi insectorum ad genus *Diopseos* pertinentium omnino caremus. Afzelius specimina non nisi forte fortuna in ædium fenestris invenit.

Character generis essentialis:

Antennæ brevissimæ rotundatæ, seta longa terminali, *insertæ sub oculis apici cornuum capitis*.

Instrum. cibaria: Os haud prominens, proboscide, haustello, palpisque. Proboscis magna, membranacea, geniculata, retractilis; stipite brevi, cylindrico, capitulo carnoso, bilabiato, laciniis æqualibus, conniventibus. Haustellum absque vagina, seta unica, cornea, setacea, acuta, in canalem dorsalem proboscidis recondenda. Palpi duo *elongati*, *conici*, ad basin setæ inserti. Fabricius Syst. Anthliat. p. 261.

Proboscis Muscarum. Palpi *breves, cylindrici, sub-acuminati* *). LATREILLE Gen. Crust. et Ins. IV, p. 352.

Descriptio generis: Caput parvum, nudum, *clypeo* subconico descendente, mutico vel spinoso; *vertice* in cornua duo elongata, divergentia abeunte. Hæc *cornua* capite cum thorace longiora, cylindrica, vacua, apice incrassato cyathiformi oculos gerentia. Seta solitaria in medio cornu *), et altera in ejusdem apice supra oculos valde prominentes. *Antennæ* brevissimæ, vix visibiliter triarticulatæ, articulo primo inconspicuo, secundo brevi, tertio subovato, seta tenui elongata terminato, insidentes cornubus capitis paullo infra oculos. *Stemmata* tria minutissima in medio verticis inter cornua, conglomerata. *Oculi* magni, subglobosi, inserti cornuum capitis summo apici dilatato, nonnihil reflexo. *Thorax* antice angustior, muticus; metathorace utrinque spina brevi armato. *Scutellum* distinctum, subquadratum, apice bispinosum. *Abdomen* maris lineare, feminæ pone medium incrassatum, subclavatum. *Pedes* cursorii, femoribus anticis incrassatis, subtilissime crenulatis; tarsis quinque-articulatis, parum pilosis, articulo primo longiore. Alæ nudæ, incumbentes, directione nervorum ut in generibus reliquis hujus familiæ, nervulo angulari baseos interioris omnino deficiente. *Halteres* breves, clavati, nudi. *Sexus differentia* mihi non rite explorata, sed ob formam abdominis in una eademque specie diversam, linearem nempe vel clavatam, illam maris, hanc feminæ sexum indicare, suspicari liceat.

Descriptiones Specierum:

1. DIOPSIS *Ichneumonea*: rubra, thorace abdomineque postico nigris; alis ante apicem macula nigra. †

* LINNÉ Dissert. de Bigis Insectorum pag. 5. Tab. fig. 1 — 5. (♀).
— — Amœnit. Academ. Vol. VIII, p. 303.
* FUESLY Archiv, I. Tab. (6). (Epitome et copia Dissert. Linneanæ).
* GMELIN Syst. Nat. Tom. I, Pars V, p. 2829.
* FABR. Syst. Anthliat. pag. 201. 1.?
* LATREILLE Gen. Crust. et Ins. IV, pag. 353. — Dict. D'Hist. Nat. 24. 435. Tab. 112, f. 6, 7.
* — — — in Cuvierii Regne animal Tome III, p. 650.
* OLIVIER, Encycl. Method. VI, 1, p. 276.
* LAMARK Anim. sans vertèbres, Tome III, p. 370.
DONAVAN Epit. of Nat. Hist. Fasc. 9. Tab. ult. Diptera.

Sequentibus nostris major videtur. Caput rufescens, dente utrinque ad os. Cornua oculifera thorace vix longiora, oculis globosis nigris. Antennæ pallidæ, seta nigra. Thorax niger, (collari rufescente?) Scutellum et metathorax nigro colore, spinis flavis, illius apicalibus adscendentibus, hujus lateralibus inter insertionem alarum et halterum, ut in reliquis. Abdomen thorace cum capite multo longius, obovatum basi angustata, (rubrum?), articulis tribus ultimis nigris. Pedes flavi, femoribus anticis incrassatis, posterioribus summo apice unispinosis. Alæ hyalinæ, paullo ante apicem macula parva ad costam. Halteres pallidi.

---

*) Palporum forma ab his auctoribus discrepanter describitur.

*) Media seta facile deteritur, sicut et reliquæ, quod sine dubio est in causa, cur in figura Linneana illa desit.

Descriptio hic proposita facta est secundum Linnéanam, collatam cum ejusdem figura, vix enim, si diligentius examinaveris, ambas ex omnibus partibus quadrare videntur, magis tamen correcta et instructiva mihi videtur figura quam descriptio. Ex. gr. in descriptione abdominis duo tantum ultima segmenta ponuntur nigra, in figura vero tria ultima segmenta ejusdem coloris esse videntur. In descriptione stemmatum præsentia et situs, et spinulæ apicales femorum posteriorum &c. non occurrunt, satis vero distincte exprimuntur in figura. Quinam sit ipsius abdominis color ex neutro pro certo potest judicari. Sed admodum probabile videtur figuram in eo esse vitiosam, quod quartum et quintum nervum longitudinalem ostendit usque ad alæ marginem rectâ procurrentem.

Hoc sane constare videtur, Diopsin ichneumoneam esse diversam a speciebus nostris infra descriptis. Proxime certe affinis videtur Diopsi apicali, quacum convenit oris et pedum posteriorum armatura et alarum apice maculato. Plura vero ex contrario apparent diversa, ut situs maculæ alarum, quæ in D. apicali ultimum apicem alæ occupat, hujusque speciei spinæ longiores in scutello, et abdomen unicolor. Si ex figura judicare licet capitis cornua etiam in D. ichneumonea videntur magis erecta, minusque divergentia quam in speciebus sequentibus.

De hujus speciei vera patria non satis constat; utrum sit America borealis an Guinea, dissertatio Linnéana in dubio relinquit *). Fabricius habet Angolam, Sumatram, et Congo; nec vero manifeste apparet, num sit una eademque species, quam acceperat ex regionibus adeo diversis. Diagnosis enim ejus quadrat in quamlibet Diopsin, et verba: "Abdomen atrum, alæ hyalinæ, caput — cornubus *erectis* (?) labii, — pedes testacei, tibiis posticis nigris" &c. potius speciem ignotam designare videntur; quæ vero sequuntur: "Variat forte sexu spinis thoracis atris et rufis" dubitationem omnino movere possunt, anne hic agatur de duabus speciebus. Veri tamen videtur simile D. ichneumoneam habere patriam Guineam, cum omnes hucusque rite cognitæ species hujus generis sint cives istius regionis.

---

*) Linnæus, ut videtur, ignorabat, utrum Diopsis allata esset ex Guinea an ex America, quod in medio relinquit. Parum considerate Gmelinus ad hoc non attendit, scribens pro certo: Habitat in Guinea et in America.

2. Diopsis *apicalis:* rubra, abdomine concolore immaculato, thorace nigro nitido; alis in summo apice puncto fusco. Tab. I.

Hab. in Sierra Leona Africes, Dom. Ad. Afzelius, Mus. Dom. Schönherr.

Magnitudo *Sepedonis sphegei.* Caput rubrum, glabrum, nitidum, versus os attenuatum, ibique emarginatum, et utrinque spina acuta subrecta armatum. Haustellum pallide-testaceum. Frons convexa, sulculo longitudinali parum profundo, lineaque arcuata nigra in cornua oculifera desinente. Cornua cum oculis capite cum thorace vix longiora, antice basi subcarinata, ferruginea, medio obscuriora, apice nigra, ibique spina acuta nigra armata. Oculi magni globosi, in mortuis pallidi. Antennæ rufescenti-pallidæ, seta nigra. Thorax supra niger nitidulus, subtus investimento sub-fugaci cinereo opaco obductus, collari angusto concolore. Scutellum thoraci concolor, in apice spinis duabus flavis, validis, scutello plus duplo longioribus, divergentibus, armatum. Spinæ duæ minores flavæ, metathoraci, inter alas et halteres, insertæ. Abdomen thorace cum capite paullo longius, clavatum, (subtus tamen concavum,) rufo-ferrugineum, glabrum, nitidum, immaculatum, subtus pallidius, genitalibus fuscis. Pedes omnes abdomini concolores, tibiarum tarsorumque apicibus saturatioribus; femora antica reliquis multo crassiora (non vero clavata); posteriora linearia, summo apice unispinosa. Alæ abdomine longiores, hyalinæ, disco nonnihil infuscatæ, et ipso apice macula orbiculari fusca notatæ. Halteres albi.

A Diopsi Ichneumonea Lin. differt hæc species præsertim abdomine unicolore, et macula fusca alarum in summo apice, non ante illum sita.

3. Diopsis *macrophthalma:* testacea, thorace atro opaco, abdomine sordide-testaceo; cornubus oculiferis dimidio corpore longioribus. Tab. I.

Hab. in Sierra Leona. Dom. Ad. Afzelius. Mus. Dom. Schönherr.

Magnitudo *D. apicalis*, sed angustior, præter colorem a reliquis valde distincta cornubus oculiferis multo longioribus, magisque divergentibus. Caput testaceum, sub-pellucidum, fronte brevi convexa, margine orali dilatato, rotundato, omnino mutico. Vertex inter cornua subcarinatus, utrinque obsolete et leviter subsulcatus, antice linea transversa nigra, parum arcuata determinatus. Cornua oculifera dimidio corpore distincte longiora, testacea, apice nigricantia, latere anteriore sub-carinata, setis medii apicisque nigris. Oculi subglobosi obscuri. Antennæ pallidæ. Thorax niger opacus, collari rufo-testaceo, nitido. Scutellum testaceum, spinis duabus concoloribus adscendentibus; in illæsis summo apice setula nigra terminatis. Spinæ metathoracis parvæ flavæ. Abdomen thorace duplo longius, (in nostro, forte masculo, lineare,) sordide-testaceum opacum. Pedes omnes testacei, femoribus anticis valde incrassatis, subtiliter crenulatis, posterioribus simplicibus, apice muticis; tibiæ posticæ in medio paullo crassiores, infuscatæ, rudimento annuli pallidi. Alæ longitudine abdominis, hyalinæ immaculatæ, apice vix obscuriore. Halteres albi.

4. Diopsis *signata:* pallide-testacea, thorace fusco-cinereo, opaco; abdomine ferrugineo, maculis lateralibus lacteis; tibiis posticis infuscatis, annulo pallido. Tab. I.

Hab. in Sierra Leona. Dom. Afzelius. Mus. D. D. Gyllenhal et Schönherr.

Magnitudine variat, majores præcedenti fere æquales, aliæ duplo vel. triplo minores. Habitus et summa affinitas præcedentis, sed et coloribus differt, et cornubus oculiferis multo brevioribus, et media fronte subcarinata. — Caput breve, testaceum, sub-diaphanum, margine orali dilatato; frons convexa in medio carinula sat evidente, quæ vero summo dorso canaliculata videtur, posterius in lineam nigram arcuatam cornuum abiens. Vertex subinæqualis, ut in præcedente. Cornua oculifera thorace cum capite non longiora, crassiuscula, testacea, apice nigricantia, setis ordinariis nigris. Oculi obscuri. Antennæ testaceæ, seta nigra. Thorax supra fuscus, subtus cinerascens, certo situ colore margaritaceo fugaci micans, collari rufo-testaceo. Scutellum testaceum, spinis adscendentibus scutello duplo longioribus, concoloribus, summo apice setula nigra terminatis. Spinulæ metathoracis binæ ordinariæ breves, testaceæ. Abdomen thorace fere duplo longius, in nonnullis, forte maribus, gracile, lineare; in aliis, forte femineis, subclavatum; in utroque sexu testaceum, segmentis singulis, primo excepto, macula laterali lacteo-nitidula, sæpius margine confluente, unde oriuntur fasciæ emarginatæ, quarum tamen prima evidentior, vix emarginata. Pedes testacei, femoribus anticis valde incrassatis, subtus subtiliter crenulatis, reliquis simplicibus muticis; tibiæ anticæ obscuriores, posticæ infuscatæ, medio sub-crassiores, annulo pallido. Alæ hyalinæ immaculatæ. Halteres albi.

Obs. In exemplaribus nonnullis caput et pedes saturatius testacei, nitidi, in aliis pallidiores, opaci; in uno specimine abdomen subfuscum, maculis lacteis ut in reliquis.

5. Diopsis *nigra:* nigra, alis fascia apicis lineari fusca. †

Diopsis nigra Illig. Mag. VI, pag. 365.

Hab. in Sierra Leona.

Diopsi Ichneumonea minor, longitudine 3 lin. Corpus totum nigrum, non nisi cornubus oculiferis, spinis thoracis, pedibusque posticis brunnescentibus. Alæ hyalinæ fascia lineari fusca *ante* apicem. Thorax vestimento cinerascente obductum. Femora antica etiam in hac specie incrassata. — (Confr. Illiger l. cit.)

In Tabula nostra 1 sistuntur:

Diopsis apicalis: Fig. 1, magn. nat. — Fig. 2, Insectum magnit. aucta. — Fig. 3, Caput cum antennis et oculis, a fronte; magn. valde aucta. — Fig. 4, antenna, m. v. auct.

Diopsis macrophthalma: Fig. 1, longit. nat. — Fig. 2, *Mas* magn. auct. — Fig. 3, Caput a fronte, m. v. auct.

Diopsis signata: Fig. 1, a, et 1, b, *mas* magn. nat. et magn. auct. — Fig. 2, a et 2, b, *femina* magn. nat. et magn. auct. — Fig. 3, caput a fronte, magn. valde aucta.

DRYINUS,

Genus ex ordine Hymenopterorum, Familia Codrinorum *).

Character genericus:

Antennæ 10-articulatæ in utroque sexu.

Alæ anticæ areolis binis basalibus oppositis, stigmateque crasso ramulum excurrentem emittente.

Pedes elongati, femoribus ovato-conicis, basi apiceque angustatis; tarsis anticis feminæ raptoriis, unguibus binis, interiore reflexo.

Dryinus **) Latr. Hist. nat. des Crust. et des Insect. T. 13, p. 228. — * Gen. Crust. et Ins. Tome IV, p. 39.

Gonatopus Ljungh, Klug, Dalman.

Drynus (*Dryne*) Lamark anim. sans vertebr. IV. Pag. 130; (ubi *Bethyli* huic generi perperam adscripti).

Descriptio generis: *Caput* magnum, æquale, sæpius thorace latius. *Palpi* elongati, filiformes ***). *Mandibulæ* exsertæ, 3 vel 4-dentatæ. *Antennæ* clypeo versus os insertæ; semper decem-articulatæ; *feminæ* nudæ, apicem versus subcrassiores; *maris* pubescentes, lineares; articulus basalis longior, secundus brevissimus, reliqui pro sexu et specie diversi. *Oculi* magni, ovales, prominuli. *Ocelli* tres in vertice in triangulum dispositi, non approximati. — *Truncus* brevis, crassiusculus, — feminas apteras si exceperis, — scutello non determinato metathorace declivi, obtuso, sæpius obsolete cancellato. *Abdomen* subovatum, breviter petiolatum. — *Pedes* elongati, coxis magnis, *femoribus* ovato-conicis, apice angustatis, (obclavatis); *tibiis* apicem versus crassioribus, præter apicis spinam muticis. *Tarsi* antici pro sexu diversi: in *femineis* articulus primus et apicalis longissimi, intermedii brevissimi, ultimus apice biunguiculatus, ungue interiore reflexo longitudine articuli, exteriore breviore; — in *masculis* articuli subæquales, apicalis vix unguiculatus; tarsi posteriores in utroque sexu simplices. — *Alæ* anticæ nervo costali et subcostali, areolis binis basalibus, nervulis rectis terminatis; stigma costale incrassatum, post medium alæ, angulo inferiore emittens ramulum arcuatum, areolam apicalem inchoantem. Nervulorum discoïdalium non nisi vestigia obsoleta.

---

*) Familia Proctotrupiorum Latreillio.

**) Annis jam 1802 — 1805 Latreillius Dryini nomen adhibuit ad hoc genus designandum, paucos post annos (1807) etiam a Dom. Ljungh propositum et Gonatopus nominatum. Anno 1804 Fabricius adjecit Dryini nomen alii omnino generi, quod Latreillio audit Pronoeus, et paucis abhinc annis (1820) Cl. Merrem etiam Serpentium genus appellavit Dryinum. (In Tentam. Syst. Amphib. p. 136.) — In tam multifaria nominum collisione parum abfuit, quin olim a nobis usurpatam denominationem Gonatopodis retinuerimus, quæ etiam rationem habet pedum formæ; sed ne peccemus contra Nomenclaturæ leges ad Latreillii antiquius nec reprehendendum nomen revertamur, retinentes etiam ejus denominationem Pronoei isti a Fabricio non optimo jure Dryinus nuncupato generi. Serpentium vero genus, quod Merrem eodem nomine proposuit, sit nobis Dryophis.

***) *Palpi* maxillares filiformes, graciles, longissimi, articulis quinque, cylindricis, primo brevissimo, aliis subæqualibus; labiales articulis tribus aut duobus tantum distinctis, ultimo crassiore, subovato. *Maxillæ* processu terminali membranaceo, apice rotundato. *Labium* membranaceum, apice rotundatum, integrum. — Latreille.

Genus characteribus supra scriptis bene distinctum, species amplectens parvas, agiles, habitu plerumque similes. Ambo vero sexus satis differunt membrorum forma:

Mas: minor, antennis linearibus, pubescentibus; tarsis anticis muticis; semper alatus.

Femina: antennis glabris, extrorsum subcrassioribus, tarsis anticis raptoriis, ano acutiore; sæpius alata, — interdum vero aptera, thorace compresso, gibboso, quasi binodo.

Metamorphosis et vitæ modus adhuc latent. Insecta perfecta quæ nobis occurrerunt, passim inventa sunt in arborum et herbarum foliis. Rarissime tantum nobis obvia, forsan quia loca ab iis præcipue frequentata ignota. — Ex analogia generum affinium suspicamur Dryinum uti victu parasitico. Cum feminarum tantum sint pedes raptorii, nequaquam ad capiendam prædam esui adhibendam inservire arbitramur, sed quibus se retineant ad ea animalcula quibus inserere ova sua voluerint.

Species Svecanæ in duas Sectiones distribuendæ:

Sectio 1. Gonatopus. *Antennarum articulus basalis secundo longior. Alæ areolis binis basalibus distinctis. Femora incrassata, obclavata.*

*) Uterque sexus alatus, thorace lævi, haud tuberculato vel gibboso.

1. ephippiger ♀.
2. collaris ♀.
   — β. ♀.
3. flavicornis ♀. ♂.
   — β. ♀.
4. longicornis ♀.
5. ruficornis ♀.
6. frontalis ♀.
   — β. ♀.
7. basalis ♀.
8. brevicornis ♀. ♂.
9. brachycerus ♀. ♂.

Masculi, ignota femina:

10. fuscicornis ♂.
11. tenuicornis ♂.

**) Femina aptera; thorace compresso, collari gibboso.

12. formicarius ♀.

Sectio 2. Aphelopus **). — *Antennarum articulus basalis brevissimus. Alæ non nisi nervulo costali, stigmateque crasso, ramulum excurrentem emittente. — Pedes simplices, femoribus non clavatis; (tarsis anticis non raptoriis?).*

13. melaleucus.
14. atratus ♂.

**) Ἀφελης simplex, πους pes.

Obs.

Obs. E Sectione secunda genus proprium — "*Aphelopus*" — forte formandum, cum ejus species notis sat essentialibus differant a genuinis. Conveniunt vero omnino habitu; oculo bene armato areolarum basalium etiam rudimenta sæpius detegenda, etsi valde obsoleta. Antennæ semper decem-articulatæ, modo articuli basales breviores.

Descriptiones Specierum quæ in Svecia lectæ sunt.

Sectio I. (Genuinæ.) *Antennarum articulus basalis secundo longior. Alæ areolis binis basalibus distinctis. Femora incrassata, obclavata.*

*) Uterque sexus alatus, thorace lævi, haud gibboso.

1. Dryinus *ephippiger:* glaber, flavus, metathorace scabro nigro. ♀.

(*Gonatopus ephippiger* Dalm. in Act. Reg. Acad. Scient. Holm. anni 1818, p. 81. 5.)

In Vestrogothia rarissime mihi obvius.

Parvus, vix magnitudine *Bethyli hemipteri* Panz., totus flavo-luteus, exceptis oculis et metathorace nigris. *Antennæ* luteæ, vix pubescentes; articulus primus major, cylindricus, secundus brevis obconicus, 3, 4, 5, 6, lineares, 7, 8, 9, crassiores, apicalis acuminatus. *Caput* quam in reliquis minus latum, postice parum emarginatum, glabrum, læve, luteum, oculis subovatis nigris, mandibulis palpisque pallidis, illis summo apice fuscis. *Collare* angustum, subquadratum, apice rotundatum, luteum, glabrum, lævissimum, nitidum. *Thorax* subtus et antice læte luteus, sub metathorace ante basin pedum utrinque puncto nigro. *Metathorax* niger, scaber, convexus, postice declivis, obsolete cancellatus, areola apicali angusta. *Abdomen* luteum, glaberrimum, basi apiceque attenuatum, segmentis quinque, petiolo vix ullo. *Pedes* flavi, immaculati, forma ut in reliquis hujus generis, videlicet femoribus ante medium incrassatis, versus apicem attenuatis, tarsisque anticis raptoriis. *Alæ* pallidæ, hyalinæ, nervis stigmateque flavissimis, directione omnino ut in reliquis hujus generis.

2. Dryinus *collaris:* niger, antennis pedibusque testaceis, collari rufescente. ♀.

(*Gonatopus collaris* Act. Holm. anni 1818, p. 82. 7.)

In Vestrogothia lectus.

Inter minores hujus generis. *Antennæ* longitudine fere capitis cum thorace, tenues, saturate testaceæ, immaculatæ; articulo basali reliquis majore, secundo brevi, ceteris longitudine subæqualibus, apicalibus vero crassioribus. *Caput* nigrum, glabrum, læve, nitidum, mandibulis palpisque flavescentibus. *Collare* capite multo angustius, subquadratum, antice rotundatum, læve, rufescens, margine antico infuscato. *Thorax* vix latitudine capitis, nigrum, nitidum, *metathorace* concolore, punctulato, tenuiter cancellato. *Abdomen* nigrum, nitidissimum, ano piceo. *Pedes* forma hujus generis ordinaria, cum coxis pallide testacei, femoribus valde obclavatis, posticis apice piceis. *Alæ* hyalinæ, nervis stigmateque flavescentibus.

Var. β. Major, antennis apice nigris; alarum stigmate fusco. ♀.

E Smolandia misit Dom. Boheman.

Præcedente duplo major. Antennarum articuli quatuor apicales nigri. Caput evidentius punctulatum. Alarum nervi colore saturatiore, stigma fusco-piceum. Cetera ut in præcedente omnino.

3. Dryinus *flavicornis:* niger, nitidus, fronte albo-sericea, ore albo; antennis feminæ thorace brevioribus apice crassioribus et pedibus testaceis; metathorace leviter cancellato. ♂. ♀.

(*Gonatopus flavicornis* Act. Holm. 1818. I., pag. 83. 8.)

Hab. in plantis et fruticibus, præsertim Pomonæ, passim.

Inter maximos hujus generis.

Femina: *Antennæ* capite vix triplo longiores, (ideoque metathorace multo breviores) filiformes, flavo-testaceæ, nudæ; articulus basalis reliquis multo longior et crassior, antice albus; secundus parvus obconicus; articuli sequentes subæquales, lineares, apice vero evidenter crassiores, ultimus ovalis. *Caput* cum oculis thorace latius, nigrum, nitidum, subtilissime sed conferte punctulatum, antice pube tenui albo-sericea vestitum; ante ocellos carinula tenui longitudinali; mandibulæ pallido-flavæ, apice saturatiore; palpi elongati, albicantes. *Collare* breve, transversum, nigrum, punctulatum. *Thorax* niger, nitidus. *Metathorax* niger, declivis, antice et lateribus subtiliter punctulato-scaber, in disco posteriore vero areola distincta obovata cancellatus. *Abdomen* nigrum, nitidum. *Pedes* pallide flavo-testacei, immaculati, femoribus crassiusculis, posterioribus saturatioribus, coxis posticis basi infuscatis. *Alæ* hyalinæ, nervis stigmateque flavis.

Mas: duplo minor, antennis paullo longioribus, linearibus, manifeste pubescentibus, subciliatis; abdomine breviore, obtusiore; ceterum quoad formam et colores feminæ simillimus. Rarius occurrit.

— Var. *β*: Minor, antennis fusco-testaceis; pedibus testaceis, femoribus posticis nigris; alarum stigmate fusco. ♀.

In Vestrogothia, Dom. Boheman.

Dimidio fere minor et coloribus obscurioribus. Carinula illa frontalis obsoleta. Cetera ad minimum punctum cum præcedente conveniunt, ut vix species diversa.

4. Dryinus *longicornis:* niger nitidus, fronte albo-sericea, ore antennarumque basi albis; antennis gracilioribus longitudine thoracis pedibusque testaceis; metathorace non cancellato. ♀.

Hab. in Smolandia, Dom. Boheman; in Vestrogothia ipse inveni.

Magnitudo habitus et summa affinitas *Dr. flavicornis*, sed omnino distinctus antennarum et metathoracis structura, magis etiam glaber. — *Caput* nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, antice albo sericeum, ante stemmata impressum, minime ut in *Dr. flavicorni* carinatum; ore lutescente, mandibulis palpisque albis. *Antennæ* longitudine capitis cum trunco, filiformes, nudæ; articulus basalis subcylindricus, crassior, albus; secundus brevis, obconicus, flavus; 3 et 4 lineares, cylindracei, articulo basali duplo longiores et multo tenuiores, interdum fusco-testacei; articuli reliqui magnitudine et crassitie æquales, testacei, immaculati, prioribus paullo breviores, apicalis quoque linearis. — *Collare* breve, nigrum, subtilissime punctulatum. — *Thorax* niger nitidus. *Metathorax* niger undique punctulato-scaber, areola nulla distincta, nec alio modo cancellatus. *Abdomen* nigrum nitidissimum. *Pedes* forma ut in *Dr. flavicorni* omnino, nisi paullo graciliores videantur, pallide testacei, coxis posticis basi infuscatis. *Alæ* albo-hyalinæ, stigmate nervisque pallide flavis.

5. Dryinus *ruficornis:* niger, nitidus, glaber, mandibulis pedibusque lutescentibus; antennis longioribus, fusco-rufescentibus, articulis 1 & 2 testaceis; metathorace non cancellato. ♀.

(*Gonatopus ruficornis*, Act. Holm. anni 1818, p. 83. 9.)

Hab. in Vestrogothia.

Nimis affinis *Dr. longicorni*, sed duplo minor, et distinctus collari, ut videtur, magis angustato, et coloribus diversis, saturatioribus.

Antennæ longitudine capitis cum thorace, tenues, articulo primo crassiore, terete, secundoque brevi flavis, ceteris fusco-rufescentibus, nudis; tertio quartoque multo longioribus basali, reliquis sensim decrescentibus, apicali lineari. *Caput* nigrum, nitidum, oculo armato subtilissime parcius punctulatum, (minime carinatum), fronte vix sericeo-pubescente. Palpi et mandibulæ lutescentes; hæ basi apiceque infuscatæ. *Collare* angustatum, subquadratum, nigrum, subtiliter punctulatum. *Thorax* niger, nitidus; *metathorace* concolore, convexiore, punctatissimo, tenuiter pubescente, haud cancellato. *Abdomen* nigrum, nitidum. *Pedes* rufo-testacei, immaculati. *Alæ* hyalinæ, nervis stigmateque flavescentibus.

6. Dryinus *frontalis:* niger, nitidus, fronte mandibulis pedibusque rufo-testaceis, antennis longioribus nigris, articulo basali luteo, metathorace retuso. ♀.

(*Gonatopus frontalis*, Act. Holm. anni 1818, p. 84. 10.)

E Smolandia et Vestrogothia.

Valde affinis *Dr. ruficorni*, sed distinctus videtur, cum semper sit minor, et clypeo manifeste rufo-testaceo, metathorace quoque magis retuso.

Antennæ longitudine capitis cum toto thorace, tenues, pubescentes, nigræ, non nisi articulo basali luteo. Mandibulæ et palpi flavescentes. Frons albo-pilosula, macula magna lutea, inter et supra antennas, ad os usque descendente. *Caput*, *thorax* et *abdomen* nigri coloris. *Metathorax* niger, conferte punctatus, valde retusus, non cancellatus. *Pedes* lutei, immaculati. *Alæ* nervis lutescentibus.

— Var. *β*. Capite nigro, solo clypeo rufo-testaceo; antennis nigris, articulo primo fusco-testaceo. ♀.

Non differt nisi antennis nigris, articulo basali obscuriore, et defectu maculæ frontalis.

7. Dryinus *basalis:* niger, nitidus, mandibulis pedibusque flavo-testaceis; antennis longioribus, crassiusculis, nigris, articulis primo secundoque flavo-testaceis. ♀.

(*Gonatopus basalis*, Act. Holm. 1818, p. 84. 11.)

Hab. in Smolandia, a Dom. Boheman mecum communicatus.

Etiam hæc species *Dr. ruficorni* affinis, sed major, antennarum flagello fere duplo crassiore quam in illo, toto nigro, minime rufescente; articulus basalis etiam paullo longior videtur et alarum stigma angustius.

Antennæ corpore breviores, articulo basali cylindrico, flavo, crassiusculo; secundo tenui, pallido; reliquis nigris immaculatis, breviter pubescentibus, apicem antennæ versus sensim crassioribus *Caput* thorace manifeste latius, nigrum, subtiliter punctulatum, callo parvo supra

os inter antennas. Frons nigra, immaculata, tenuiter albo-pubescens. Mandibulæ lutescentes, palpi flavissimi. *Thorax* niger, nitidus, punctulatus, *metathorace* ruguloso, retuso, haud areolato. *Abdomen* nigrum, nitidum. *Pedes* formæ ordinariæ, pallide lutescentes, immaculati. *Alæ* nervis testaceis, stigmateque concolore, quam in congeneribus multo angustiore.

8. Dryinus *brevicornis:* niger, capite subtilissime coriaceo; ore pedibusque rufo-piceis; antennis brevibus crassis nigris, basi rufo-piceis; alarum stigmate fusco; metathoracis areola majore. ♀.

(*Gonatopus brevicornis*, Act. Holm. 1818, p. 85. 12.)

In Vestrogothia et in Smolandia captus.

Mediæ magnitudinis in hoc genere, præsertim distinctus metathoracis areola apicali majore, et antennis, quam in præcedentibus, crassioribus et brevioribus.

Caput thorace manifeste latius, nigrum, subtilissime coriaceum, canalicula frontis tenui, longitudinali, regione oris albo-sericea. Mandibulæ lutescentes basi piceæ; palpi testacei. *Antennæ* vix ultra dimidium thoracem assurgentes, nigræ, basi piceæ; articulus primus reliquis longior, obconicus, secundus parvus breviter obconicus, tertius longior cylindricus, reliqui evidenter crassiores, ultimus conoideus, apice subacuminatus. *Thorax* niger, nitidus, metathorace concolore, punctatissimo, super dorsum basi cancellato, apice retuso, coriaceo, subæquali, areola videlicet maxima, totum fere apicem occupante. *Abdomen* nigrum, glaberrimum. *Pedes* omnes rufo-picei, femoribus saturatioribus, tarsis pallidis. *Alæ* fusco-hyalinæ, nervis pallide fuscescentibus, stigmate nigro-fusco.

Mas: niger, antennis concoloribus, crassiusculis, breviter articulatis; pedibus nigro-piceis, geniculis tarsisque testaceis.

Præcedentis esse marem vix dubito, cum optime quadrent areola metathoracis permagna et caput subcoriaceum.

Antennæ quam thorax cum capite breviores, totæ nigræ, pubescentes; articulus basalis subcylindricus, reliquis longior; secundus brevis obconicus; reliqui subcylindrici, diametro vix duplo longiores, tertio ceteris fere breviore, ultimo elongato, acuminato. *Caput* thorace latius, subcoriaceum, mandibulis apice lutescentibus. *Thorax* cum metathorace ut supra scriptum. *Pedes* nigro-picei, tibiis anticis, geniculis tarsisque omnibus, testaceis. *Alæ* stigmate nigro-fusco.

9. Dryinus *brachycerus:* niger, ore albicante, pedibus pallide testaceis, femoribus fusco-piceis; antennis *feminæ* thorace brevioribus, crassiusculis, totis nigris; metathorace subretuso, areola obovata, angusta.

Hab. in Smolandia, Dom. Boheman; in Vestrogothia ipse inveni.

Magnitudo fere *Dr. brevicornis*, cui affinis, sed omnino distinctus. Differt et colore, et capite lævigato, haud coriaceo, metathorace minus retuso, in cujus apice areola discoidalis parva, nec totum apicem occupans, ut in illo; differt quoque alarum stigmate flavo.

Antennæ nigræ, immaculatæ, scapo breviusculo, flagello thorace manifeste breviore, crassiusculo, præsertim versus apicem; articulis intermediis diametro vix longioribus, ultimo conico. *Caput* nigrum, paullo nitidum, non nisi oculo acute armato subtiliter punctulatum. Mandibulæ et palpi albicantes, vix flavescentes. *Thorax* niger, nitidus, immaculatus; collare breve;

metathorax dorso obsolete strigosus, apice declivis, areola parva obovata, qualem supra descripsimus. *Abdomen* longitudine thoracis, nigrum, nitidum. *Pedes* pallide flavo-testacei, coxis concoloribus, solis femoribus fusco-piceis. *Alæ* albæ, hyalinæ, stigmate flavo.

Mas: niger, nitidus, ore albicante, pedibus sordide testaceis, femoribus nigro-piceis; metathorace subretuso, areola apicali obovata; antennis longitudine thoracis, crassiusculis.

(*Gonatopus pubicornis* Act. Holm. 1818, p. 81, n. 15.)

E Smolandia misit Dom. Boheman.

Animalculum hocce esse *Dr. brachycerum* marem ex analogia conjicimus. Convenit magnitudine, habitu, et coloribus corporis; differt vero stigmate alarum non flavo sed nigro a femina, qua vix major. *Antennæ* totæ nigræ, distincte sed breviter pubescentes, crassiores quam in maribus reliquis hujus generis, thoracis apicem vix attingentes. Articuli cylindracei, subæquales, præter secundum breviorem. *Caput* nigrum, immaculatum, non nisi subtilissime punctulatum, albo-pubescens, mandibulis palpisque albidis. *Thorax* ut in femina areolatus. *Abdomen* thorace brevius, ovatum, nigrum, nitidissimum. *Pedes* coxis femoribusque nigro-piceis, tibiis tarsisque sordide testaceis. *Alæ* hyalinæ, nervis stigmateque fusco-piceis, obscuris.

Obs. Dryinos supra descriptos veri est simile ad totidem pertinere species diversas, cum characteribus sint satis distincti. Utrum vero duo sequentes, quos non vidi nisi mares, feminis quibusdam ex superioribus sint associandi, an pro distinctis speciebus habendi, quarum feminæ mihi ignotæ, nondum mihi constat.

10. Dryinus *fuscicornis:* niger, ore pedibusque testaceis, femoribus basi piceis; antennis nigris, pubescentibus; alarum nervis stigmateque fuscis. ♂.

(*Gonatopus fuscicornis* Act. Holm. 1818, p. 87. 14.)

Hab. in Vestrogothia.

Mediæ magnitudinis in hoc genere, vel *Evaniæ minutæ*. *Antennæ* capite cum thorace evidenter longiores, nigræ, lineares, valde pubescentes; articulus basalis crassiusculus, basi interdum picea; secundus parvus, breviter obconicus; tertius articulo basali fere duplo longior, tenuior, cylindricus; reliqui tertii forma et fere longitudine quoque; apicalis attenuatus. *Caput* nigrum, nitidum, mandibulis palpisque flavis. *Collare* breve, antice rotundatum, nigrum, nitidum. *Thorax* niger, metathorace concolore, punctatissimo, convexo, apice declivi, haud cancellato. *Pedes* obscure testacei, femoribus basi piceis, coxis concoloribus. *Alæ* hyalinæ, nervis stigmateque fuscis, obscuris.

11. Dryinus *tenuicornis:* niger, ore pedibusque sordide testaceis; antennis longis et gracilibus, metathorace declivi, vix cancellato. ♂.

Hab. in Vestrogothia et in Smolandia.

Magnitudo et forma *Dr. frontalis*, cujus marem forsan esse suspicor. Differt tamen pedibus multo obscurioribus et alarum stigmate fusco. — *Antennæ* longitudine thoracis cum capite, graciles, nigræ, pubescentes; articulus basalis mediocris cylindricus, subtus plus minus

flavescens; secundus brevis, obconicus; tertius quarto fere brevior; reliqui subæquales, lineares, diametro triplo vel quadruplo longiores; apicalis attenuatus. *Caput* thorace latius, nitidum, subtiliter punctatum, versus os albo-pubescens. Mandibulæ et palpi flavescentes. *Thorax* niger, nitidus, collari brevi, metathorace declivi, punctato-scabro, vix areolato nisi obsolete. *Abdomen* breve, nigrum, nitidum. *Pedes* sordide testacei, femoribus obscurioribus, tibiis anticis tarsisque omnibus pallidioribus. *Alæ* nervis flavicantibus, stigmate fusco-piceo.

**) Femina aptera, oculis sursum prominentibus; thorace compresso, collari gibboso.

12. Dryinus *formicarius:* elongatus, apterus, niger, ore antennarum basi pedibusque testaceis, femorum basi infuscata; vertice depresso; thorace subtereti, binodo. ♀.

Gonatopus formicarius Ljungh, in Weber und Mohrs Beytræge zur Naturkunde. Tom. 2. (Kiliæ 1807.) ♀.

Gonatopus pedestris Dalman Act. Holm. 1818. 1. p. 86. ♀.

(Conf. *Dryinus formicarius* Latreille Gen. Crust. et Ins. Tom. I. Tab. XII, f. 6. — Hist. nat. des Crust. et des Ins. T. 13, p. 228. — An mas nostri? an diversa species?)

Hab. in Vestrogothia rarius, Dom. Gyllenhal. In Smolandia teste D. Ljungh.

Longitudine fere *Dr. flavicornis*, sed angustior; forma singulari et facie fere Formicæ, sed antennæ et pedes omnino hujus generis.

Antennæ breviores quam caput cum thorace, fusco-testaceæ, graciles, articulis primo secundoque crassioribus, flavescentibus; tertio longitudine præcedentium simul sumtorum, gracillimo, apicalibus parum crassioribus. *Caput* fere duplo latius thorace, nigrum, nitidum, glabrum, læve, regione oris flava, mandibulis concoloribus; postice late et sat profunde emarginatum, supra valde depressum; subtus crassiusculum, convexum, nigrum. *Oculi* magni, ovales, valde prominentes et elevati. *Thorax* valde angustatus, difformis, bipartitus; pars antica (collare) ovato-subglobosa, compressa, postice videlicet in tuberculi modum elevata, subtruncata, nigra, nitidissima; pars posterior (thorax verus) teretiuscula, subdepressa, minus nitida, apice opaca. *Abdomen* capite latius, nigrum, nitidum. *Pedes* omnes pallide testacei, femoribus obclavatis, ad basin nigro-fuscis, coxis posticorum concoloribus. Tarsi antici raptorii, omnino ut in reliquis hujus generis. *Alarum* nullum rudimentum.

Obs. Anne proprii generis? Nimis enim differt a reliquis forma et thoracis et capitis, præsertim oculis elevatis et valde prominentibus. An vero diversitates analogæ adsint quoque in masculo futura dies docebit.

Sectio II. (Aphelopus.) *Antennarum articulus basalis brevissimus. Alarum areolæ basales nullæ, vel obsoletæ. Femora vix incrassata.*

13. Dryinus (Aphelopus) *melaleucus:* niger, capite antice albo, macula verticis trigona nigra; pedibus anterioribus totis tarsisque posticorum albis.

(*Gonatopus melaleucus* Act. Holm. 1818, p. 82. 6.)

In Vestrogothia raro captus.

Inter minimos hujus generis, forma reliquorum, antennas et vix incrassatos pedes si excipias. *Antennæ* breviores quam thorax cum capite, filiformes, nigræ, vix nisi brevissime pubescentes, articulis (10) distinctis brevibus, subæqualibus; apicalibus paullo crassioribus. *Caput* magnum, thorace latius, læve, antice niveum, palpis mandibulisque albis; postice et subtus nigrum, macula verticis magna, subtrigona, nigra. *Oculi* magni nigri. *Truncus et abdomen* nigri coloris; metathorace convexo, declivi, subtiliter sed conferte punctato, areola apicis media lævi. *Pedes* albi, anteriores immaculati; posticorum femora et tibiæ nigricantes, tarsis albidis, apice obscurioribus. *Alæ* hyalinæ, nervis stigmateque fuscis.

— *Var.* β. Niger, capite antice albo, macula verticis nigra, trigona; antennis pedibusque totis albis.

E Smolandia misit D. Boheman.

Magnitudo et habitus præcedentis omnino, antennæ vero albæ, articulis tantum 2, 3, 4, 5 fuscescentibus. Pedes omnes cum coxis albi, immaculati. Alarum nervi costales albi, stigma vero nigro-fuscum.

Obs. Dr. melaleuci sexum determinare nequeo; si respicio ad formam antennarum feminam esse fere crediderim, sed pedes antici minime raptorii. Si vero pedes illi in feminis quoque *Aphelopodum* simplicis fuerint formæ, tanta discrepantia a *Dryinis* genuinis proprium genus firmaret.

14. Dryinus *atratus:* corpore nigro immaculato, pedibus anterioribus pallidis, antennis nigris pubescentibus, articulo basali brevissimo nodiformi, apicalibus cylindricis tenuioribus. ♂.

In Vestrogothia rarius captus.

Magnitudo et habitus fere *Dr. melaleuci*. *Antennæ* nigræ immaculatæ, capitis cum thorace longitudine, medio frontis juxta oculos insertæ; articulus primus brevissimus nodiformis, secundus primi forma et magnitudine, 3 et 4 illis paullo longiores obconici, reliqui elongati cylindrici. *Caput* transversum, nigrum, immaculatum, sublæve, sed fronte inter antennas subtuberculatum: ore piceo, palpis albis. *Thorax* totus niger, glaber, scutello polito, metathorace subtilissime scabroso (apice areolato). *Abdomen* breve, nigrum, nitidum. *Pedes* anteriores pallide flavescentes, femoribus anticis in medio, intermediis totis, piceis; pedes postici toti nigro-picei; femora omnia in medio paullo crassiora nec vero obclavata. *Alæ* hyalinæ, nitidæ, nervo costali stigmateque crasso fusco-piceis; nervorum basalium rudimentis valde obsoletis, vix detegendis.

— Var. β. Clypeo mandibulisque albis.

In Smolandia, D. Boheman.

Magnitudine, proportione articulorum antennalium, et reliquis partibus omnino cum priore convenit, ut præter colorem oris nullam differentiam detegere potuerim.

Obs. Si *Dr. melaleucus*, etsi pedibus non raptoriis, pro femina habendus esset, *Dr. atratum* ejusdem esse marem crederem.

Insectorum
NOVA GENERA.

Haudquaquam nostrum est consilium ejusmodi Nova Genera hic proponere, quæ ex divisione jam receptorum oriantur, cui rei collectiones nostræ abundantem materiam præbere possent. Talia sigillatim excerpta genera plerumque parum utilitatis afferre arbitramur, nisi una sequantur totius familiæ elucidatio critica et dispositio universalis. Quæ hic sumus descripturi, constant ex novis speciebus, quæ ad nulla ab auctoribus hucusque recepta genera, quantum nobis quidem liquet, possunt referri, quæque partim etiam insolitæ omnino sunt formæ.

Horum omnium *Celyphi* genus facile maxime est singulare, sistens Dipteron, cujus scutellum ita est dilatatum, ut totum abdomen tegat et alarum magnam partem. Nullum antea Dipteron nobis erat cognitum, cujus scutellum admodum esset magnum. *Celyphus* itaque in Dipterorum ordine fere idem quod *Tetyra* inter Cimicides vel Corisias, *Darnis* inter Cicadarias, *Acrydium* Fabr. inter Orthoptera.

Tipulariarum illa *Chionea araneoides* non minus est singularis per anomaliam in hoc ordine insolitam, quod alæ desint, et similitudinem illusoriam cum Aranea, quam per vitam super nives media hieme.

Nullum vero nostrorum generum mihi etiam nunc videtur ita plenum dubiorum, et tam ægre posse in ulla familia bene collocari, quam *Agaon paradoxum*. Caput pro ratione Hymenopterorum ejusdem habitus videtur esse admodum magnum, antennæ insertæ sunt superiori parti capitis insolitum longe ab ore; et lamellæ inusitatæ ad os, quæ capitis inferioris partem tegunt, quid sint nec judicare audeo. Alæ tamen atque ceterus corporis habitus huic insecto locum potius in Hymenopterorum quam in alio ordine quocunque assignandum svadent. Specimen unicum, non optime conservatum, etiam propter parvitatem haud distinctius licuit evolvere. Sed quæ expedire potui de insecto tam singulariter formato, quod fere non nisi casu quodam fortunato a Sierra Leona ad nos pervenit, reticere nolui.

De ceteris suo cujusque loco.

I. THYR-

I. THYRSIA,

Novum Coleopterorum genus, e familia Cerambycinorum.

Character genericus:

Antennæ fusiformes, medio incrassatæ, tomentosæ, subfasciculatæ.

Palpi filiformes, apice obtusiusculi.

Mandibulæ corneæ, arcuatæ, introrsum bidentatæ, nudæ.

Corpus submolle, oblongum, thorace brevi mutico, elytris magnis, pedibus brevibus compressis.

Locus in Systemate forte post *Ctenodem* Oliv.

Genus antennarum forma singulari præsertim distinctum, nec cum alio ullo hujus familiæ conjungendum. *A Ctenode* Oliv. valde distare videtur antennis minime pectinatis, thorace mutico *æquali*, mandibulis intus dentatis, non ciliatis, cet. — A plerisque Cerambycinis quoque differt corpore molliusculo, et elytris apicem versus vix angustioribus.

Nomen formatum a *θυρσος* thyrsus, ob antennarum formam et investimentum.

Species:

1. Thyrsia *lateralis:* nigra, holosericea, thorace pallide-sanguineo flavo-maculato, fronte vittaque elytrorum laterali flavis. — Tab. III.

(Act. Holm. 1819. 1. p. 118.)

Hab. in Brasilia, Dom. Christofferson; Mus. Dom. Schoenherr.

Magnitudo *Pyrochroæ rubentis*. *Antennæ* longitudine dimidii corporis, oculorum sinui insertæ, medio incrassatæ, undecim-articulatæ, nigræ; articulus primus magnus, obconicus, pubescens; 2:s minor, subpyriformis, brevis; 3 et 4 subglobosi, nigro tomentosi; hi articuli omnes valde discreti, rhachi flavescente; — articulus 5 major, breviter cylindricus; reliqui sensim decrescentes, apicalis parvus, subconicus, fere nudus. — *Caput* parvum transversum, subtiliter scabrosum, vertice nigro, fronte flava. *Os* nigrum, mandibulis brevibus exsertis, intus bidentatis, non ciliatis, palpis brevibus, simplicibus. (Interiores oris partes in specimine unico enucleare non potui.) — *Oculi* parvi, laterales, introrsum emarginati. *Thorax* transversus, longitudine duplo latior, immarginatus, antice et lateribus rotundatus, postice subsinuatus, supra parum convexus, carinula dorsali, in callum ante-scutellarem desinente, ceterum æqualis, holosericeus, pallide sanguineus, vitta dorsali maculaque laterali oblonga flavis, subnitidulis; medio utrinque puncto nigro notatus. — *Scutellum* breve, nigrum, apice truncatum. *Elytra* thorace paullo latiora, latitudine plus duplo longiora, sublinearia, apice rotundata, paullo dehiscentia, mutica, margine laterali deflexo, supra parum convexa, nigra, subtiliter scabrosa, vitta laterali pallide flava, costam lateralem, incrassatam, abbreviatam occupante. *Corpus* subtus nigrum, nitidum; abdomen parvum, elytris multo minus; thorax etiam subtus pallide sanguineus. *Alæ* obscure fuscæ, iridicolores. *Pedes* insertione approximati, breves, simplices, omnino mutici, compressi,

pubescentes, nigro-fusci, femorum apicibus pallidis; tarsi vix longitudine dimidiæ tibiæ, distincte 4-articulati, absque nodo basali, subtus spongiosi, articulo penultimo bifido, apicali reliquis vix longiore, biunguiculato.

Tab. III, Fig. *a*, magnit. nat. — *b*. Insect. magn. auct. *c*. antenna, magis aucta.

II. POLYTOMUS,

Genus e Coleopterorum Ordine, et Pentamerorum Sectione.

Priusquam descriptionem hujus generis ordiamur, licebit præmittere animadversiones quasdam circa numerum articulorum in antennis insectorum. Mirum sane videtur, quod cum pleraque insectorum membra constent articulis numero definito, tale quid in organis tam essentialibus quam antennæ non obtineat, verum diversitas satis magna observetur, cum in generibus, tum in speciebus maxime inter se affinibus. Numerus enim articulorum v. g. in *Tarsis* admodum est circumscriptus, numquam nempe excedens quintum, et gradationes paucissimæ, a quinque usque ad duos articulos, reliqui corporis structuram ita per certam analogiam sequuntur, ut inde percommode characteres subordinum et familiarum desumere licuerit. — Etiam *Palpi* diversiter sunt articulati, sed et horum articulorum numerus semper admodum est exiguus, licet sæpe omnino diversus in insectis, quorum corporis structura ceterum satis similis. Neque numerus segmentorum abdominis in insectis justis, vel hexapodis, est admodum magnus, et quæ occurrunt diversitates sunt ita definitæ, ut in dispositione systematica magis ad eas attendendum videatur, quam huc usque usu venit.

Antennarum vero quæ diversitas! Generum totæ series hic occurrunt, quorum antennæ constant parvo articulorum numero, contra alia quorum articuli sunt fere innumerabiles, licet omnia ista insecta ad unum eundemque ordinem pertineant.

Hemipterorum ordo videtur unicus, in quo nullæ antennæ multiarticulatæ occurrant. Articulorum numerus est trium ad quinque, et singulus superat vel deest in generibus maxime ceterum affinibus, ex. gr. in *Cimice* Fabr., cui sunt quinque articuli, et in *Edessa*, cui tantum quatuor.

Diptera secundum ipsum numerum istorum articulorum in magnos duos subordines discedunt. Maximus specierum numerus pertinet ad primum, cui antennæ constant paucis tantum articulis, — tribus ad sex; — Tipulariæ alterum

subordinem efficiunt, cui antennæ sunt compositæ ex sex, decem, sedecim vel adhuc numerosioribus articulis.

Etiam in Hymenopteris magna est diversitas numeri articulorum in antennis. Vix tamen inter hæc invenias quæ pauci-articulata, vel 3 — 6 articulorum salutare possis. Numerus maxime solennis est 12 — 13, vel 14 — 16, singulus nempe articulus superat sæpe in mare; tum sequitur magna Hymenopterorum turba, instructa antennis quorum articuli sunt indefiniti, fere innumeri, totus nempe agmen *Ichneumonidum*, *Siricum* et generum nonnullorum inter *Tenthredinetas*.

Ut inter Diptera ita et inter Neuroptera inveniuntur genera perpaucorum articulorum in antennis; ex. gr. *Ephemerides* sunt trium tantum, *Libellulinæ* quinque vel septem, tum alia innumerorum ut *Phryganeides*.

Lepidopterorum ordo hoc habet singulare, quod in eo solo nullæ paucorum articulorum antennæ occurrant; constant enim plerumque ex indefinitorum, pene innumerabilium articulorum numero.

Apud Orthoptera etiam articulorum numerus est valde magnus in antennis. Nonnihil inferior est præsertim in *Forficula*, quæ ad Coleoptera propius videtur accedere, varius tamen in variis hujus generis speciebus.

Apud Coleoptera jam in universum definitus numerus obtinet articulorum in antennis, vulgo 11 vel 12; ubi occurrunt pauciores concretio quædam duorum vel plurium videtur facta. Quod jam dudum est animadversum, apud Coleoptera antennarum articulos 12 numerum non excedere, hoc ita valet et ad multa pertinet, ut si ad europæas tantum species respicias, in universum valere videatur. Sed jam nonnullæ exceptiones singulares non nuper innotuerunt, quas Novi Mundi insecta perpauca nobis obtulerunt. Sunt nempe species generis *Amydetis* Hoffmansegg, in primis vero *Prionus imbricornis*, hoc maxime admirandus, quod licet aucto articulorum numero in antennis usque ad 19, tamen in ceteris membris et toto habitu corporis nullam omnino diversitatem offert, quæ sejunctionem a ceteris Prionis possit svadere et proprium genus vindicare.

His in pluribus Coleopterorum millibus tam paucis exceptionibus antennarum multiarticulatarum adnumerandæ sunt novæ Americanæ species, quas, sub Polytomi nomine *), in proprium genus collectas jam olim descripsimus.

---

*) a πολυ multum, τομος sectio.

Genus idem videtur ac *Rhipicera* LATREILLII, cujus adumbrationem, brevissimam quidem, dedit in CUVIERII "le regne animal" III, pag. 235. — Etsi denominationes a Cl. LATREILLIO propositas vel receptas libentissime adoptemus, hac vice tamen nomen a nobis olim jam propositum retinendum esse arbitramur. *Rhipicera* enim vox nihil aliud exprimit quam nomina plura jam usitata ejusdem derivationis, qualia sunt: Rhipiphorus (genus FABRICII), Rhipidius (genus THUNBERGII), Rhipidia (genus MEIGENII), et tantum sono nec vero notione ab illis differt, — ut plantarum genus Rhipidium *) et insectorum ordinem Rhipiptera heic silentio prætereamus, — quæ scilicet nominum nimia similitudo memoriæ semper odiosa. Ceterum antennis flabellatis genera pluria gaudent, Polytomi vero denominatio spectat ad antennas multiarticulatas, notam generis maxime singularem et essentialem.

Sed de Nomine, et Generis cum definitione tum circumscriptione, adhuc nonnulla præmonenda. — Longe ante quam Cl. LATREILLIUS suum *Rhipiceræ* genus proponeret Cl. THUNBERGIUS (in Actis Holm. anni 1806) pro Melase *mystacina* FABR. proprium sub *Ptyoceri* nomine vindicavit genus, quod ita descripsit: — "antennis triarticulatis" — præter clavam — "clava articulis circiter octo," qui igitur junctim undecim, ut vulgo, efficiunt. Post — 1817 — Comes ab HOFFMANSEGG — in WIEDEMANS *Zoolog. Magazin* I. 1, p. 28, — aliud insectum, nempe Ptilinum *mystacinum* FABR. ad proprium redegit genus, cui idem *Ptyoceri* nomen dedit, et antennas 40-articulatas adscripsit. Num Cl. THUNBERGII denominatio Comiti ab HOFFMANSEGG incurrerit in memoriam, nec ne, nescimus, cum vero nullam ejus mentionem fecerit, proprius ad verum accedere videtur, quod antennarum ratio et insertio nonnihil similis, apud diversos auctores eandem denominationis ideam creaverit.

Cum primum *Polytomi* genus proponeremus et describeremus, *Ptyoceri* genus Hoffmanseggianum (Ptilinum *mystacinum* F.) eo pertinere arbitrati, illico conjunximus; de *Ptyocero* Thunbergiano vero nulla affinitatis suspicio nobis incidit, quod ipsum insectum nondum videramus, antennæ vero clavatæ, 11-articulatæ, et tarsi in figura tamquam simplices et sine soleis delineati a nostro genere nimis alienum quoddam indicare viderentur. Postquam vero, in hoc Museo Paykulliano ditissimo, insectum accuratius examinare nobis licuit, et corporis habitu et tarsorum forma Polytomo admodum simile invenimus, licet antennis 11-articulatis. In dubium sane vocari potest, utrum *Ptyoceri* THUNB. et *Polytomi* genera pro recte diversis sint recipienda, an tantum pro subdivisionibus vel subgeneribus ejusdem generis. Quodsi nulla ratio fuerit habenda diversi numeri articulorum in antennis, vel si iste in feminis non occurrit, Ptyoceri nomen, a THUNBERGIO tum etiam ab HOFFMANSEGGIO propositum, erit præferendum alii cuicunque ad designandum genus conjunctum. — Si vero conjicere licet ex consvetudine nunc in Systematismo Entomologico regnante, qua genera in quam plurima distinguere nitimur, credibile est insecta, quorum tanta diversitas sit antennarum, quam *Ptyoceri* et *Polytomi*, consequenter iri retentum tamquam genera diversa.

POLYTOMI character genericus:

Antennæ flabellatæ, multiarticulatæ, (articulis 20 — 40.)

Os exsertum. — *Palpi* subæquales, filiformes, articulo apicali oblongo, vel subclavato.

Maxillæ lineares, processu apicali fimbriato.

Mandibulæ compressæ, valde arcuatæ, apice acuto.

---

*) *Rhipidium*, HOST Gram. Austr. Tom. III, Tab. 1. TRINII fundamenta Agrostographiæ p. 169.

Corpus elongatum, molle, antrorsum inclinatum. Tarsorum articuli intermedii brevissimi, soleis membranaceis lamelliformibus; articulus apicalis elongatus.

Instrumenta cibaria: — (e P. marginato.)

Os exsertum, dependens.

Mandibulæ magnæ, validæ, (capite tamen breviores,) valde arcuatæ, compressæ, latere interiore valde acutæ, versus basin dente valido, obtusiusculo armatæ, apice acutæ, nudæ; cruciatim incumbentes. *Labrum* minutum, emarginatum. *Maxillæ* corneæ, processu apicali lineari, mandibularum apicem non attingente, extrorsum nudo, intus dense ciliato vel fimbriato.

Palpi filiformes, subæquales, longitudine mandibulæ; — *maxillares* maxilla multo longiores, 4-articulati, pilosi, articulo primo brevissimo, secundo longiore obconico, tertio brevi, apicali majore, oblongo vel subclavato. — *Palpi labiales* paullo breviores, tri-articulati, articulo basali minuto, secundo elongato-obconico, apicali crassiore, oblongo, apice nudo nitidulo.

Labium minimum, compressum, apice pilosum.

Antennæ ante oculos prope os fronti insertæ, flabellatæ, articulis numerosis, — 23, 31, 40; — articulus primus magnus obconicus, reliqui brevissimi, latere anteriore in lamellum angustam, linearem, nudam, producti; articuli basales lamellam gerunt brevissimam, intermedii longissimam, singuli unicam. — *Caput* mediocre, exsertum, ante os attenuatum. *Oculi* laterales, oblongi, integri.

Corpus elongatum, alatum. *Thorax* brevis immarginatus; *scutellum* parvum; *elytra* longa, apice aliquantum angustata. *Abdomen* parvum 5-articulatum. Sternum non productum vel mucronatum.

Pedes mediocres, simplices, tibiis parum compressis. *Tarsi* evidenter 5-articulati; articuli intermedii brevissimi, cordati, subtus soleis duabus membranaceis, elongatis et lamelliformibus instructi; articulus apicalis magnus, reliquis simul sumtis longior, apice valide biunguiculatus.

Descriptiones Specierum:

.1. Polytomus *femoratus:* fusco-cyaneus, paullo nitidus, testaceo-pubescens; antennis pedibusque nigris; elytrorum basi femoribusque ferrugineis.

Antennæ articulis 23.

(Act. Holm. 1819. 1. p. 120.)

Habitat in Brasilia ad Rio Janeiro, D. Kymell. Mus. D. Schoenherr.

Magnitudo et habitus fere *Cistelæ lepturoïdis;* longitudine 6 lin. Parisiens. — *Caput* viride-cyaneum, testaceo pubescens, margine antico et carinula frontali elevatis, ore antennisque nigris. *Oculi* pallidi. *Thorax* transversus, immarginatus, antice angustior, lateribus obliquis, subrectis, basi parum sinuata, supra antice convexus, æqualis, totus sordide cyaneus, pubescens. *Scutellum* parvum, cyanescens, rotundatum. *Elytra* thoracis basi evidenter latiora, illoque quintuplo longiora, marginata, lateribus paullo sinuata, apice angustata, mutica, supra convexa, sordide viride-cyanea, testaceo-pubescentia, tota basi ferruginea, costis in sin-

gulo quinque, præter suturam et marginem, parum elevatis, interstitiis conferte punctatis. *Corpus* subtus viride-cyanescens, testaceo-pubescens, obsolete punctulatum. *Alæ* obscuræ, nigrofuscæ. *Pedes* formæ supra indicatæ, nigri, femoribus rufo-ferrugineis, apice nigris.

2. Polytomus *marginatus:* viride-æneus, dense pallide-pubescens, antennis pedibusque nigris, femoribus rufis, elytrorum sutura margineque testaceis. Tab. IV.

Antennæ articulis 31 — 32.

(Act. Holm. 1821. 2. p. 379.)

Hab. in Brasilia ad Rio Janeiro, Dom. Froelich. Mus. R. Ac. Scient. Holm.

Magnitudine variat. Longit. 7 ad 9 lin. Paris. Habitus omnino Polyt. femorati, cui valde affinis, sed major et differt præsertim antennis 31-articulatis, elytris sine costis, et toto limbo testaceo.

Antennæ dimidio corpore breviores, nigræ; articulus primus crassus breviter obconicus, æneo-nitens, pubescens, reliqui brevissimi, glabri, producti in lamellas lineares, extrorsum paullulum latiores, summo apice tamen acuminatas; intermediorum longissimæ, longitudine fere capitis cum thorace. Antennæ sæpius in circulum reflexæ, ut lamellis divergentibus flabellum amplum subinfundibuliforme efficiant.

Caput viride, nitens, dense pubescens, ad antennarum basin elevatum. *Os* exsertum, mandibulis palpisque nigris. *Oculi* prominuli, nigri. — *Thorax* antice angustior, basi sinuatus, lobo scutellari emarginato, convexus, antice pulvinatus, viride-æneus, pube brevi, densa, pallida vestitus. *Scutellum* rotundatum, thoraci concolor. *Elytra* elongata, medio paullulum sinuata, pone medium iterum aliquantulum latiora, convexa, fusca, fusco-ænea, vel fusco-violacea, nitida, pube pallida vestita, basi rufescente, sutura margineque laterali testaceis, summo tamen apice nigro. — *Corpus subtus* æneo-virens, nitidum, pubescens; abdominis segmentis ultimis margineque secundi rufo-ferrugineis; inter pedes anticos spina tenuis ferruginea, deorsum spectans. — *Pedes* inermes; femora crassiuscula, rufo-ferruginea, apice viridia; tibiæ nigræ. Tarsi nigri, longitudine tibiarum, forma supra in descriptione generis indicata.

Obs. Elytrorum color a fusco ad rubro-violaceum variat.

3. Polytomus *mystacinus:* testaceus, albopunctatus. †

Antennæ articulis 40, sec. Hoffm.

* *Ptilinus mystacinus* Fabr. Syst. El. I, p. 328. 1. — * Ent. S. I, p. 241. 1.
— * Herbst Col. V, p. 45. 1. Tab. 46, f. 13.
— * Schoenh. Syn. II, p. 111. 1.
* *Hispa mystacina* * Fabr. Mant. I, p. 47. 1. — * Spec. Ins. I, p. 81. 1. — * Syst. Ent. p. 70. 1.
— * Drury Ins. III. Tab. 8, f. 7.
— * Gmelin S. Nat. I, IV, p. 1734. 10.
* *Ptyocerus mystacinus* Hoffmansegg in Wiedemann Zool. Mag. I, 1. p. 28.

Hab. in Nova Hollandia, Fabr.

Insectum non vidi, sed secundum figuram Druryi habitu et antennarum forma cum nostris omnino convenire videtur.

In Tabula nostra IV sistuntur:

Fig. 1. Polyt. marginati magn. nat. — 2, Insectum magn. auct. — 3, ejusdem antenna; — 4, mandibulæ cum labro; — 5, maxillæ et palpi maxillares; — 6, labium cum palpis; — 7, tarsus posterior, a latere inferiore oblique repræsentatus, ut appareant soleæ lamelliformes. — Fig. auctæ.

III. ZIROPHORUS,

Novum Coleopterorum genus, e Familia Staphyliniorum.

Character generis:

Palpi 4 breves, filiformes; maxillares quadriarticulati; labiales triarticulati.

Mandibulæ arcuatæ, apice dentatæ.

Antennæ filiformes, articulo primo magno clavato, 4 — 11 cylindricis, opacis, pilosis.

Corpus elongatum, depressum, sublineare. Thorax quadratus, supra canaliculatus, angulis posticis emarginatis. Pedes breves, tibiis anticis crenulatis.

Zirophori genus constat ex speciebus duabus, novis, quarum unam examinavimus in Museo Paykulliano, alteram, prioris forsan alterum sexum, in Schönherriano. Tertiam speciem suspicamur esse *Cucujum spinosum* Fabricii, cujus descriptio cum prima nostra specie sat bene quadrat, colorem si excipias. Locus in Systemate forte ante *Oxytelum*, unicum genus quocum comparari potest; etsi manifeste differt et instrumentis cibariis, et antennis extrorsum minime crassioribus, et corpore multo magis depresso, elytris striatis, totoque habitu. Per thoracem quadratum, planum, ab elytris remotum, nonnihil accedit ad *Passalos* et *Scarites; Cucujis* minime affinis nobis videtur.

Nomen a ζειρα genus amiculi (sagulum), et φορεω porto, ob elytra brevissima, dorsi basin tantum tegentia.

Instrumenta cibaria: (e Z. fronticorni.)

Mandibulæ porrectæ, arcuatæ, sinistra apice dentibus duabus, dextra tribus.

Labium semicirculare, corneum, transverse sulcatum, apice membrana truncata auctum.

Palpi labiales breves, filiformes, triarticulati, articulis æqualibus.

Maxillæ breves, corneæ, apice membranaceæ, lacero-bifidæ.

Palpi maxillares filiformes, quadri-articulati, articulo basali brevissimo, reliquis subæqualibus, secundo et tertio fere obconicis, quarto lineari.

Labrum coriaceum, obtusum, pilosum, subtus laciniis tenuiter membranaceis, ciliatis, præditum.

Species:

1. Zirophorus *fronticornis:* niger, ano tarsisque rufo-piceis, antennis ferrugineo-pilosis, capite spinis duabus acutis porrectis; elytris quinque-striatis.

(Act. Holm. 1821. 2. p. 373. 1.)

E Museo Paykulliano, ubi habitationis locus notatus est "*Kalkoen*", — sed cum signis interrogationis tribus, quare locus natalis omnino pro ignoto habendus.

Longitudo insecti 5 lin. Parisiens., latitudo thoracis 1 lin., longitudo a cornuum apice ad elytrorum basin 2 lin., elytra 1 lin., abdomen pone elytra 2 lin.

Mas esse videtur. Antennæ dimidio corpore longiores, submoniliformes, pilosæ, ad latera capitis pone os insertæ, 11-articulatæ; articulus primus magnus, pyriformis, secundus minutus, breviter obconicus, tertius elongatus, subclavatus, hi rufopicei, nitidi; reliqui breviter subcylindrici, nigro-fusci, opaci, ferrugineo-hirti, apicales graciliores, ultimus sublinearis.

Caput horizontale, thorace multo angustius, nigrum, nitidum, impunctatum, antice medio impressum; spinis duabus validis, acutis, porrectis, capite brevioribus, armatum. *Mandibulæ* nigræ. *Palpi* fusci. *Oculi* parvi, ovati, paullulum prominuli, pallidi. *Thorax* quadratus, rectangulatus, quam longus manifeste latior, lateribus margineque antico rectis, angulis posticis emarginatis, sed in medio aliquantulum productus, et truncatus; supra omnino planus, lævissimus, impunctatus; in medio dorso canalicula tenuis, et basin et apicem attingens; latera tenuissime marginata; ad angulos posticos foveola brevis et tenuis, modice impressa.

Scutellum parvum, triangulare, depressum. *Elytra* thorace angustiora, amborum latitudine longitudinem superante; humeris subrotundata, lateribus recta, apice truncata, angulis tamen obliquatis; supra plana, nigra, nitida; in singulo lineæ 5 impressæ, pari spatio remotæ, certo situ in fundo subtiliter punctulatæ, interstitiis planis, impunctatis. Striæ sextæ in hac specie nullum vestigium.

Abdomen elytris dimidio longius, illis vero manifeste angustius, lineare, supra subtusque sat convexum, margine vero valde elevato, nigrum, nitens, vix nisi ad latera punctatum, margine anoque rufo-pilosis. Segmenta 1 — 5 subæqualia, nigra, sextum majus, rufo-ferrugineum, segmentum supra-anale minutum acuminatum, segmentum vero ultimum retractum, in nostro specimine corniculis duobus nigris, erectis, armatum; segmenta ventralia integra, nec impressa, nec emarginata.

Pedes breves, æquales, nigri, nitidi; femora crassiuscula, compressa, tibiæ rufopilosæ, anticæ latere exteriore crenulatæ, posteriores integræ; tarsi rufo-picei, pilosi, articulis basalibus brevissimis, contractis, apicali illos simul sumtos longitudine æquante, biunguiculato.

Alæ nigro-fuscæ.

2. Zirophorus *penicillatus:* niger, antennarum basi pedibus anoque rufo-piceis, capite inæquali mutico, antennis longitudine corporis; elytris striis quinque cum rudimento sextæ.

(Act. Holm. 1821. 2. p. 373. 2.)

Hab. in insula Guadeloupe, Dom. Forsström. Mus. Dom. Schönherr.

Longit. corporis $3\frac{1}{2}$ lin. Paris., proportiones partium ceterarum ut in *Z. fronticorni*, cujus forte alterum sexum (feminam?) esse crediderim. Cum vero præter capitis et antennarum discre-

discrepantias conjunctionem dissvadeant magnitudo, color pedum, et elytrorum stria exterior, satius duxi ad ulteriorem indagationem ut species distinctas proponere, quam mera conjectura conjungere, insecta e terra peregrina, quorum indoles ignota.

Antennæ longitudine corporis, articulis 1—3 obscure rufo-piceis, nitidis, reliquis nigrofuscis, opacis, griseo-pubescentibus. Articulus primus ante oculos sub prominentia capitis insertus, clavatus, superne in medio instructus tuberculo cum fasciculo e pilis ferrugineis, erectis. Articulus secundus brevior, obconicus; tertius præcedente fere duplo longior, elongato-obconicus, subclavatus; qvartus iterum brevior; reliqui sensim longiores et tenuiores, elongato-cylindrici; apicalis gracilior, linearis.

Caput transversum, thorace multo angustius, nigrum, nitidum, impunctatum, valde inæquale: super singulo oculo callus elevatus, obtusus, paullo prominulus, et in media fronte tuberculus minor, subtriangularis; in vertice carinula transversa, medio interrupta. — *Mandibulæ* nigræ, capite multo breviores, arcuatæ, apice dentatæ. *Palpi* rufo-ferruginei, forma ut in *Z. fronticorni.* Oris partes reliquas in unico specimine examinare non licuit, cum *Z. fronticornis* convenire videntur. *Oculi* nigri, prominentes.

Thorax nigro-piceus, nitidus, impunctatus, forma, canalicula dorsali, foveolisque ad angulos posticos, cet. omnino ut in *Z. fronticorni.* — *Elytra* ut in illo, nigra, nitida, striis in singulo 5, pari spatio remotis, subtiliter punctulatis; stria quinta nonnihil arcuata, et extra illam striola abbreviata, vix medium elytron non vero humerum attingens. — *Abdomen* elytris dimidio longius, nigrum, ano et segmentorum marginibus ferrugineis, segmentis omnibus integris, anoque mutico, absque stylis. *Alæ* amplæ albidæ. *Corpus* subtus nigrum, colore ad rufopiceum vergente. *Pedes* rufo-picei, femoribus pallidioribus, nitidis, tibiis tarsisque ferrugineo-pilosis.

3. Zirophorus? *spinosus:* niger, thorace elytrisque rufis, capite spinis duabus porrectis. †

* Cucujus spinosus Fabr. Syst. Eleut. II, pag. 93. 9.

Habitat in America meridionali, D. Smidt. Mus. D. Lund. — Fabr.

Descriptio Fabricii: Medius. *Antennæ* longitudine corporis, filiformes, pilosæ: articulis cylindricis. *Caput* atrum, nitidum, inter antennas spinis duabus porrectis, validis, acutis. *Thorax* planus, lævis, rufus, basi utrinque impressa. *Elytra* valde abbreviata, striata, rufa. *Corpus* atrum. *Pedes* breves, nigri, femoribus incrassatis rufis.

Fig. 1, a. *Ziroph. fronticornis* magn. nat. 1, b. Insect. magn. auct. — 2. a. *Z. penicillati* magn. nat. — 2. b. Insect. m. auct. — 3, mandibula dextra a latere interiore; 4, mandibula sinistra a latere interiore; 5, labium cum palpis labialibus; 6, maxilla cum palpo maxillari; 7, labrum superne; 8, labrum infra, cum laminis inferioribus membranaceis. (Appendices postici in fig. 5, 7 & 8 partium musculos membranaceos repræsentant). Hæ partes e *Zir. fronticorni.* — Fig. 9, Antenna *Z. fronticornis.* — 10, antenna *Z. penicillati.* — 11, Caput *Z. fronticornis* infra, instrumentis cibariis omnibus sublatis. — 12, Caput *Z. fronticornis* superne absque mandibulis. — 13 Pes anticus *Z. fronticornis.* — Fig. 3 — 8 magis, fig. 9 — 13 minus auctæ.

IV. HYDROPTILA,

Novum Neuropterorum genus, e familia Phryganearum.

Antennæ longitudine corporis, exacte filiformes, apice non tenuiores, articulis æqualibus, transversis.

Palpi capite non longiores, tenues, glabriusculi.

Alæ angustatæ, sublanceolatæ, acuminatæ, valde ciliatæ, — *non plicatiles.*

Tibiæ posticæ ciliatæ, bisbicalcaratæ.

Genus primo intuitu Tineis nonnullis similius quam Phryganeis. Ob Insecti parvitatem oris partes rite examinare non potui, nec metamorphosis mihi patet. Ad Phryganearum familiam pertinere mihi tamen svadent: palporum structura et facies, — alæ minime squamulis sed tantummodo pilis tectæ, — habitatio juxta et supra aquas, — et nescio quid ipsius habitus. — A Phryganeæ speciebus majoribus valde quidem abhorret, nec cum illis comparandum; sed cum specierum series in vasto isto genere ad formas satis diversas progrediatur, *Phryg. marginata*, cum affinibus, ac *Phryg. Sparmanniella* ad hoc nostrum genus transitum quodammodo indicare videntur.

A Phryganearum genere mox dignoscitur *Hydroptila: alis posterioribus non plicatilibus*, alisque omnibus valde angustatis, acuminatis, et longe ciliatis. Differt deinde antennis lineari-filiformibus, brevioribus, nec setaceis nec apice tenuioribus, &c.

Nomen ab ὕδωρ aqua, πτιλα plumula, lanugo.

Species:

1. Hydroptila *tineoides:* fusca, capite, antennis pedibusque, pallidis; alis fuscis, pilosulis, superioribus fasciis duabus punctoque apicali albis. Tab. III.

(Act. Holm. 1819. 1. p. 125.)

Habitat in monte Kinnekulle ad littora lacus Wenneri, passim frequens, supra undas volitans; etiam Holmiæ.

Facies omnino Tineæ minimæ, magnitudine vix *Tin. Cydoniella* Fabr. Hübn. — *Caput* hirsutie crispata verticis alba, frontis nigra. *Oculi* semiglobosi, majusculi, nigri. Ob hirsutiem verticis dijudicare nequeo, an adsint *ocelli*, nec ne. *Antennæ* pallidæ, nitidulæ, apice nigricantes, articulis circiter 26, æqualibus. *Thorax* griseo pilosus. *Abdomen* pallidum, nitidulum. *Pedes* albicantes, femoribus anticis infuscatis. *Tibiæ anteriores* apice calcaratæ, *posticæ* rectæ, fimbriatæ, ante apicem spinulis duabus, interiore majore, armatæ, et in ipso apice spinulis duabus minoribus.

Alæ deflexæ, nervis obsoletis vix manifestis; — *anticæ* angustatæ, sublanceolatæ, valde pilosæ, costa margineque ciliatæ, fuscæ: fasciis duabus albis, pilosis, nitidulis, æquali spatio remotis, exteriore sæpius interrupta; punctum inter illas in medio, et aliud in ipso apice, ejusdem coloris. Signaturæ illæ tamen facile deteruntur. *Alæ inferiores* minores, lanceolato-acuminatæ, non plicatiles, fusco pilosulæ, undique valde ciliatæ, ciliis marginis posterioris latitudine alæ duplo longioribus.

In Tabula delineatæ sunt:

Fig. 1, Hydroptila tineoides, magn. auct. — 2, Ejusdem magn. nat. — 3, caput cum palpis antennaque, magn. valde auct. — 4, pes posticus.

V. XYELA.

Novum Hymenopterorum genus, e familia Uroceratorum.

Antennæ basi cylindricæ, apice filiformes, 11-articulatæ, articulo tertio longissimo.

Palpi maxillares elongati, 4-articulati.

Oviductus feminæ exsertus, compressus, ensiformis.

Genus indubium, antennarum structura insolita, palporum longitudine et forma, alarum reticulatione, oviductu, valde distinctum, inde comparatione vix eget.

Antennæ magnæ, mediæ fronti versus os insertæ, articulis undecim; articulus primus sat longus, subcylindricus, secundus brevissimus, obconicus, tertius cylindricus, longitudine fere thoracis, reliqui multo tenuiores, lineares, subæquales.

Clypeus antice rotundatus, integer.

Mandibulæ validæ, una 3, altera 4-dentata.

Labium integrum.

Palpi maxillares magni, subpediformes, 4-articulati; articulus primus brevissimus, secundus oblongus, tertius illis longior, conicus, acuminatus, quartus filiformis, præcedentis longitudine.

Palpi labiales minutissimi, 3-articulati.

Caput transversum, depressum, fronte non prominula. *Oculi* laterales, vix prominuli, pro ratione insecti majores quam in *Sirice* et *Xiphydria*. *Ocelli* tres approximati, vertici linea arcuata impositi. *Collare* humile, antice angustatum cylindricum, (ut in *Xiphydria*). *Abdomen* cylindricum, tota basi metathoraci affixum; ano maris mutico, feminæ oviductu ensiformi prædito. *Pedes* mediocres, simplices; femora nonnihil compressa; tibiæ omnes spina apicali minuta, obsoleta, armatæ, ceterum inermes, non nisi pilis minutis adspersæ; tarsi tibiis longiores, articulis 5, primo longiori, reliquis subæqualibus. *Alæ* amplæ, *superiores* valde reticulatæ, areolis numerosis, e figuris nostris facilius perspiciendis quam e descriptione longa et tædiosa; areolæ marginales omnes apertæ. Stigma magnum areolæforme. *Alæ inferiores* areolis fere ut in *Sirice*.

Sexus differentia: Mas minor, ano mutico, nec mucronato, segmento ventrali ultimo magno, scutiformi, integro.

Femina oviductu exserto, compresso, ensiformi, abdomini subtus adnato, ut in *Sirice*, *Xiphydria*, cet. — *Valvulæ* laterales lanceolatæ, oculo armato subtiliter scabrosæ; lamina intermedia membranacea, lanceolata, acuminata, nervo medio obscuriore, (oviductu forsan genuino.) — *Mucro* analis *Siricum* supra oviductus basin in hoc genere deest.

Metamorphosis et *victus* ignorantur; in lignosis esse videntur.

Nomen generis a ξυηλη, gladiolus.

SPECIES:

1. XYELA *pusilla:* nigro picea, flavo variegata, oviductu feminæ longitudine abdominis ♂. ♀. Tab. III.

(Act. Holm. 1819. p. 124. 1.)

Hab. in pinis sylvestribus junioribus passim; in Uplandia, Vestrogothia, præsertim vere obvia.

In *Siricum* familia hæc species sane pusilla: mas linea Parisiensi vix longior, femina paullo major, longitudine, nempe a capite ad oviductus apicem fere duarum linearum. — *Antennæ* fusco-testaceæ, basi flavescentes. *Caput* læve, impunctatum, glabrum, paullo nitidum, nigrum, ore toto, margine antico et laterali, flavis; interdum quoque adsunt maculæ duæ verticis ejusdem coloris. *Oculi* nigri. *Palpi* valde elongati pediformes, flavi. *Thorax* lævis, niger, punctis duobus dorsalibus, apice margineque collaris, flavis; subtus flavescens. *Abdomen* thorace paullo longius, nigro piceum, segmentis margine anguste flavis, ano et oviductu feminæ flavotestaceis. *Pedes* flavi vel flavotestacei, femoribus in medio plus minus infuscatis. *Alæ* hyalinæ, nervis stigmateque flavescentibus.

2. XYELA *longula:* nigro flavoque varia, oviductu feminæ longitudine corporis. ♀.

(Act. Holm. 1819. p. 124. 2.)

Habitat in Vestrogothia rarissime. Mus. Dom. GYLLENHAL.

Non nisi feminas vidi. Facies et summa affinitas *X. pusillæ*, sed duplo vel triplo major, antennæ pro ratione magnitudinis tenuiores quam in illa, et oviductus longitudine corporis cum capite. — *Caput* nigrum, læve, margine antico et laterali flavis; inter antennas macula flava, et lunulæ duæ verticis ejusdem coloris. *Os* pallidum, *palpi* flavi. *Antennæ* forma et colore ut in *X. pusilla*. *Thorax* et *abdomen* coloris nigro-fusci, segmentis margine lineaque laterali flavis. *Oviductus* piceus, pubescens, apice acuminatus. *Pedes* flavescentes, femoribus medio piceis. *Alæ* ut in *X. pusilla*, nervis stigmateque pallide-flavescentibus.

Fig. 1, a, *Xyela pusilla*, *mas*, magn. auct. — 1, b, ejusdem magn. nat. — 2, a, *Xyela pusilla*, *femina*, magn. auct. — 2, b, ejusdem magn. nat. — 3, labrum; 4, palpi maxillares; 5, labium cum palpis labialibus; 6 & 7, mandibulæ. — 8, antenna; 9, pes; 10, oviductus feminæ; a & b, valvulæ laterales; c, lamina intermedia, elevata. — 11, oviductus feminæ; a, valvula lateralis; b, lamina intermedia, deflexa; omn. magn. auct.

VI. DIRRHINUS,

Genus ex ordine Hymenopterorum, familia Pteromalinorum.

Character genericus:

Os inflexum, *mandibulis* productis, acuminatis, apice bi-vel 3-dentatis.

Antennæ fractæ, (10 — 11 articulatæ,) insertæ medio frontis, sub oculis, in sulcum capitis profundissimum retrahendæ.

Caput supra horizontale, antice productum, profunde bifidum, sulco magno ad stemmata usque divisum, fronte infera oblique descendente.

Corpus elongatum, abdomine petiolato, *femoribus* posticis incrassatis maximis; *alarum* nervis, præter costalem, nullis manifestis.

Genus maxime affine *Chalcidi*, habitu tamen magis elongato, et forma capitis deflexi insolita, unde antennarum insertio et occultatio aliena. Os quam in *Chalcide* magis productum et acuminatum, inter insertionem pedum anticorum inflexum. Instrumenta cibaria interiora examinare mihi non licuit. Locus in Systemate post *Chalcidem* ante *Eurytomam*.

Etymologia a δὶς bis et ῥὶν nasus.

Species:

1. Dirrhinus *excavatus:* corpore punctatissimo atro, pedibus posticis concoloribus; antennis pedibusque anterioribus ferrugineis.

(Act. Holm. 1818. 1, p. 76.)

Hab. in Sierra Leona Africes, Dom. Ad. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr. In India orientali, Dom. Kymell, Mus. Dom. Gyllenhal.

Magnitudine *Stigmi minuti* Panz. Caput et truncus atri coloris, undique confertissime rudibus punctis, pube pallida, sericea, parcius adspersa. — *Caput* magnum, latitudine thoracis, supra visum horizontale, basi angustiore profunde emarginata, antice productum in lobos duos acuminatos, margine omni elevato. In vertice stemmata tria distincta, quorum anterius in margine sulci. *Caput* a latere visum subtrigonum, fronte obliqua, deflexa. *Oculi* rotundati, laterales, nonnihil prominuli, in mortuis glauco-pellucidi, nitiduli. Sulcus profundissimus caput antice dividens, usque ad medium ejus excisus, antennarum scapum, majoremque partem flagelli, recipiens et occultans. *Antennæ* ferrugineæ, vix visibiliter pallide pubescentes, simplices, forma ut in *Chalcide* et pluribus hujus familiæ. *Thoracis* lobus anticus (*collare*) transversus, antice sinuato-productus, lateribus subrectus, postice emarginatus; lobus medius paullo latior, dorso utrinque sulco obliquo arcuato impressus; lobus scutellaris semiovalis, apice rotundato,

mutico; — omnes conferte æqualiter punctati. *Metathorax* subplanus, costis nonnullis distinctus, utrinque obtuse unidentatus, versus abdominis insertionem angustatus, ibique impressus. *Abdomen* thorace multo brevius, petiolo brevi, striato, ceterum ovale, glaberrimum, nitidum, supra ad basin concinne striatum, ano rotundato, subtilissime pallide-pubescente, retracto. *Pedes anteriores* breves, ferruginei, femoribus clavatis, medio nonnihil infuscatis, tarsis dilutioribus. *Pedes postici* maximi, nigri, coxis elongatis, glabris, femoribus crassis lenticularibus, subtus post basin dente minuto armatis, ceterum vix nisi subtilissime crenulatis; tibiæ tenues arcuatæ, subulatæ, nigræ; tarsi tenuissimi, testacei. *Alæ* infuscatæ, nervo punctoque costali ordinariis fuscis; ceterum nervorum non nisi obsoletissima vestigia. Tegula humeralis lutescens.

Explicatio figurarum in Tab. II. C.

Fig. 1, *Dirrhinus excavatus*, m. auct., adjecta magnitudine naturali. — Fig. 2, Idem a latere. — 3, Caput a fronte et subtus repræsentatum, ut frontis excavatio et antennarum insertio appareant. Obs. In hac et sequente figura caput secundum regulas opticas contractius delineatum. — 4, Caput parte magis adhuc inferiore, ut excavationis fundus appareat, altera antenna erecta altera deflexa. — 5, Caput cum antennis a latere. — 6, Antenna, magn. magis adhuc aucta.

VII. AGAON,
Novum Hymenopterorum Genus.

Character genericus:

Os exiguum sub apice capitis plani, elongati, mandibulis quadridentatis.

Lamellæ duæ cultriformes, inferiorem capitis partem tegentes.

Antennæ insertæ ante mediam frontem horizontalem, articulo primo maximo subsecuriformi, intermediis parvis tenuissimis, apicis tribus incrassatis.

Corpus elongatum, seta anali; alis fere enervibus.

Nomen a græca voce *αγαος* admirabilis.

Species:

1. Agaon *paradoxum:* testaceum, immaculatum, oculis nigris. — Tab. II. A.
Habitat in Sierra Leona. Dom. Ad. Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Insecti valde singularis atque paradoxi non nisi unicum vidi specimen, cujus explicationem etiam partium exiguitas reddebat admodum difficilem. — *Corpus*, sine caput, *Entedone ramicorni* vix majus, totum testaceum, exceptis oculis caudaque nigris. *Caput* maximum, elongato-quadrangulum, lineare, quam latum fere plus duplo longius, horizontale, basi emarginatum, apice truncatum, lateribus rectis; glabrum, nitidum, disco profunde impresso,

ibique in fundo subcanaliculatum. *Oculi* laterales, oblongi, depressi, nigri, haud procul a basi capitis inserti.

Os minutissimum sub apice capitis situm, mandibulis duobus minimis, corneis, subtriangularibus, latere interiore quadridentatis. *Palpos* detegere non valui; sed media pars capitis subtus tegitur *lamellis* duabus recumbentibus, parallelis, relicta rima angusta inter se, quæ, ad mandibularum basin insertæ, sunt elongatæ, cultriformes, capiti arcte applicatæ, et basin ejus attingentes.

Antennæ capite cum thorace vix longiores, ante capitis apicem supra insertæ ad foveolam disci, insertione approximatæ. *Articulus primus* maximus, latere exteriore angulato-dilatatus, ut subsecuriformis evadeat, valde compressus, horizontalis, glaber, nitidus; *articuli* proxime insequentes tenuissimi, breves, pilosi, (quare numerum eorum indicare nequeo); apicales tres magni, subglobosi, hirsutissimi, clavam elongatam formantes.

Thorax latitudine capitis, sed dimidio fere brevior, antice in medio nonnihil sinuato-productus, postice linea obsoleta bisinuata a metathorace distinctus; lateribus armatus utrinque spinulis duabus minutis, quarum prima in medio lateris, altera paullo ante alarum insertionem: supra parum convexus, glaber, nitidus. *Metathorax* latitudine thoracis, cui arcte applicatus et concolor, in nostro specimine acu mutilatus.

Abdomen capite longius, subtrigono conicum; seta anali supera, longitudine capitis cum thorace, nigra, et spinula sub-anali acuta nigra, parum ultra apicem abdominis prominente.

Pedes testacei, graciles, mutici, subglabri, femoribus subclavatis, tarsis elongatis, (ut videtur quinque-articulatis).

Alæ 4 albido-hyalinæ; anteriores latiores, forma et facie fere ut in *Diapria*, lineola stigmaticali paullo pone medium costæ, et rudimentis nervorum basalium atque longitudinalium non nisi obsoletissimis, vel haud manifestis, margine et exteriore et costali baseos ciliatæ. — *Alæ posteriores* valde angustatæ, margine postico ciliatæ; enerves videntur.

Ex allatis satis liquet Insectum hocce ad Ordinem Hymenopterorum pertinere, quorum ad familias et Pteromalinorum et Codrinorum accedere videtur; ob ani structuram priori forte potius associandum.

Explicatio figurarum Tabulæ II. A.

Fig. 1, *Agai paradoxi* magn. nat.

Fig. 2, Ins. superne; magn. valde aucta.

Fig. 3, Abdomen cum seta et spinula anali a latere.

Fig. 4, Caput cum thorace superne; — a, linea inter thoracem et metathoracem; — b, spinula posterior in thoracis margine; — c, spinula anterior; — d, oculus; — e, impressio in capitis parte superiore; — f, primi articuli antennalis insertio; — g, ejusdem angulus exterior; — h, articuli antennales minores, non discernendi; — i, tres articuli apicales magni.

Fig. 5, Caput et thorax inferne; a, pedum anteriorum insertio; — b, b, lamellæ duæ, longæ, capitis parti inferiori appressæ; — c, earundem insertio, ad mandibularum radices. Observantur supra parvæ mandibulæ, latere interiore quadridentatæ.

Fig. 6, eadem figura ac præcedens, sed cum lamella sinistra retroflexa, ut appareant et facies interior, et capitis impressio levis, lamellæ respondens.

VIII. CELYPHUS,

Novum Genus e Dipterorum ordine.

Character genericus:

Os haustello absque proboscide.

Clypeus subperpendicularis, nudus, apice late emarginatus.

Antennæ porrectæ, compressæ, seta crassa, compressa, articuliformi.

Corpus ovato-hemisphæricum, *scutello* maximo, fornicato, abdomen totum, alasque obtegente.

Descriptio Generis: *Antennæ* frontis medio insertæ, tri-articulatæ. Articulus primus obconicus, secundus cyathiformis, brevis; tertius conoideus, compressus, basi cum præcedente continuatus. *Seta* magna, articuliformis, ante apicem articuli tertii inserta, valde compressa, in setulam brevem, pubescentem desinens.

Clypeus subperpendicularis, longe infra oculos descendens, antice late sed non profunde emarginatus, apertura oris magna. — *Haustellum* magnum, carnosum, — retractum.

Corpus parvum, ovato-hemisphæricum, muticum; capite parvo transverso, thorace transverso, brevi; scutello maximo, fornicato, dilatato-rotundato, abdomen totum alasque obtegente.

Alarum Nervi fere ut in Lauxania. Nervus costalis paullo circum apicem alæ productus, ibique cum nervo longitudinali quarto conjunctus; margo interior alæ nullo nervo cinctus. Nervus auxiliaris duplicatus, ad medium costæ usque extensus. Nervus longitudinalis secundus ante apicem alæ nervo costali jungitur, tertius in apice; quartus post apicem alæ nervo costali junctus, post medium quoque alæ, per nervulum brevissimum transversum, cum tertio communicat. Nervus quintus ante marginem per angulum rectum reflectitur versus quartum, quocum areolam magnam, basi angustatam, circumscribit.

Nomen a κελυφος putamen, involucrum, — ob faciem scutelli corpus tegentis.

Species:

1. Celyphus *obtectus:* corpore antennis pedibusque ferrugineis, thorace supra violaceo, lævi; scutello maximo, fornicato, coriaceo, violaceo.

(Act. Holm. 1818. 1. p. 72.)

Hab. in India Orientali, Dom. Joh. Lund, Mus. Dom. Schoenherr; eodem loco Dom. Silfversvärd, Mus. Dom. Gyllenhal.

Animalculum primo intuitu facie fere Tetyræ parvæ, ob scutellum maximum; unicum exemplum in Dipterorum ordine huc usque obvium *). — Corpus magnitudine *Henopis gibbosi*. *Antennæ* pallide ferrugineæ vel testaceæ, apice obscuriores. *Caput* transversum, perpen-

*) Nullo modo cum Canopo Fabr. Syst. Rhyngot. confundendum.

perpendiculare, thorace angustius, testaceum, glabrum, nitidum; in medio frontis lineola transversa, impressa, arcuata. Apertura oris late sed non profunde emarginata, omnino nuda. Haustellum basi testaceum, apice fuscum. Vertex *ocellis* tribus conglomeratis, obscuris; ad latera setulis perpaucis. *Oculi* laterales, oblongi, prominuli, in vertice late distantes, mortuorum pallide-glauci. — *Thorax* transversus, quam longus multo latior, antice angustior, truncatus, angulis subcallosis, prominulis, basi truncatus angulis deflexis, lateribus in media parte nonnihil angulatis, valde convexus, glaber, nitidus, omnino impunctatus; violaceus, lateribus subrufescentibus. *Scutellum* maximum suborbiculare, basi tantum truncatum, marginatum, omnino fornicatum, ut hemisphæricum appareat, totum cyaneo-violaceum, glabrum, nitidum, antice lateribusque profunde coriaceum, dorso posterius læve; — subtus valde concavum, non vero omnino inane, sed potius membranula concava clausum videtur. — *Corpus subtus* testaceum, glabrum, nitidum, impunctatum; *abdomen* supra planum, posterius rotundatum, apice magno deflexo, e segmentis tribus marginatis formato, anali parvo rotundato, mutico. Sexum exemplaris nostri determinare nequeo. *Pedes* corpori concolores, simplices, postici reliquis paullo longiores; *femora* antica latere inferiore pilis paucis magis conspicuis ornata, ceterum, cum tibiis omnibus, non nisi brevissime et parcius pilosula. *Tarsi* tibiis longiores, quinque-articulati, articulo basali reliquis simul sumtis longitudine æquali. *Alæ* longitudine thoracis cum scutello, hyalinæ, margine costali apiceque lutescentes, nervis fuscis, directionibus supra indicatis; insecto quiescenti ad maximam partem a scutello tectæ. *Halteres* breves, clavati, lutescentes, sub basi scutelli occultati. *Squama* alaris nulla, quantum ego detegere valui.

Explicatio figurarum Tabulæ II. B.

Fig. 1. *Celyphi obtecti* magn. naturalis. — 2, Insectum superne, magn. aucta. — 3, Idem a latere. — 4, Caput a fronte. — 5, Antenna admodum aucta.

CHIONEA,

Novum Genus, e Dipterorum Ordine et Tipulariarum Familia.

Satis nota est res in ipsa hieme, dum coeli temperies fit mitior longioris temporis tractu, insectorum multitudinem super nives et glaciem apparere, præsertim in sylvis et ubi arbusta adsint. Quæ quoniam animalcula tunc super nivem candidam et glaciem facilius observantur et capiuntur, quam dum versantur supra terram in gramine et sub foliis, excursiones eorum istæ hiemales præbere solent Entomologo sæpe messem haud contemnendam, hoc gratiorem quod non erat exspectata, et quod ipsum inter naturæ universalem soporem quasi moribundæ monet, mortem istam non esse veram verum somnum quendam.

Specimina nonnulla talium messium super glaciem Cl. Ljungh in Act. Holm. anni 1817, 1, p. 142 enarravit, sed numerus specierum insectorum hoc modo inventorum facile multum potest augeri. Præsertim Staphylinii quidam magna multitudine adesse solent, nec aranearum species quædam super nives silvestres sunt raræ. Sed plerorumque sub hieme occurrentium insectorum pigritia quædam, sub æstate minime iis propria, satis ostendit, hiemem non esse tempestatem justam vitæ et vigoris eorum, sed ex sopore excitata sine consilio circumvagari. Quod idem tamen non videtur accidere insectis proprie dictis hiemalibus, quæ hoc habent distinctionis, quod vix nisi hieme occurrant frequentiora, et ope structuræ corporis propriæ possint degere super nivem sine molestia, atque etiam sub frigoribus levioribus vitæ vigorem conservent. Ejusmodi sunt species quædam Poduræ, inprimis nota illa quæ *nivalis* cognominatur, cujus tot apparuerunt nonnunquam innumerabilia millia, si nuntiis ex provinciis allatis credere fas est, ut nix per tota jugera inde nigricans fuerit adspectu. Aliud insectum, quod non quidem tam mirando numero, sed passim, nec tamen raro, supra nivem bene agit, est *Ateleptera hiemalis* Hoffmans. (*Panorpa hiemalis* Fabr.), quæ præsertim in iis quæ in nive occurrunt vestigiis et depressionibus, saltabunda circumvagatur. Hujus insecti exemplaria nonnulla, quæ autumno sub muscis inveneram, per corporis mollitiam et colorem pallidiorem satis ostendebant se nondum venisse ad eam maturitatem quam quæ hieme circumpalantur.

Quod vero certissime probat insecta hæc profecto esse hiemalia et super nivem tamquam suo loco degere est quoniam ibi copulantur, ut in *Ateleptera hiemali* haud raro licet observare. Adhuc vero erit explorandum quomodo et ubi animalcula hæc ova sua deponant; num per nivem pedalem vel bipedalem penetrent, quod non quidem videtur veri simile, an demum ad arborum truncos et arbusta se occulant, quod potius licet suspicari.

His insectis hiemalibus genuinis etiam species singularis adnumeranda est, quam sub nomine *Chioneæ araneoïdis* descripsimus.

Ita araneæ speciem mentitur, et alarum defectu, et colore griseo, et toto habitu, ut qui minus insectorum coluerit scientiam vix etiam propius inspiciens illusionem prorsus abjicere possit. Sed accuratiore facta indagatione, mox ex antennarum existentia, atque pedum et oculorum numero et ratione apparet, quam nulla vera affinitas sit cum aranea. Contra et ex oris conformatione et halteri-

bus fit manifestum, insectum hocce esse Dipteron, licet, anomalia rara, alæ desint. Talis anomalia in hoc ordine antea nobis tantum cognita erat in paucis *Hippoboscæ* speciebus, et in *Tipula atomaria* De Geer. Sane animadversione est dignum, quod in nostra Chionea etiam mas alis careat. Halteres vero in utroque sexu sunt admodum conspicui. Hoc nos in opinione nostra confirmat, halteres præbere Characterem externum optimum Dipterorum Ordinis, cum nullum eorum existat vestigium i ullo alio ordine, plura vero insecta aliorum ordinum duas tantum alas ostendant manifestas, quæ in Dipteris nonnullis etiam desunt.

Chioneam esse ex Familia *Tipulariarum* nullo modo in dubium vocamus, sed corporis totus habitus et antennarum forma atque articulorum antennalium numerus nobis persvaserunt eam non esse recipiendam in ullum genus eorum, quæ adhuc innotuerunt, verum esse proprii.

Nomen, respiciens vitam super nivem, assumtum est a *χιονεος* nivalis.

Chioneæ character genericus:

Antennæ filiformes, 10-articulatæ; articulo primo elongato cylindrico; secundo clavato, longitudine præcedentis; tertio brevi, subgloboso; reliquis tenuioribus, linearibus, apice pilosis.

Os crassiusculum, productum, *palpis* filiformibus 4-articulatis; articulis subæqualibus, apice incrassatis, pilosis, ultimo sublineari.

Ocelli nulli.

Corpus apterum, halteratum; ano maris forficato, feminæ bivalvi; pedibus validis, gressoriis, muticis.

Species:

1. Chionea *araneoides:* corpore fusco, pedibus testaceis, pilosis.

Act. Holm. Anni 1816, 1. pag. 102, ubi Insectum descripsimus et (Tab. II.) delineavimus.

Habitat hieme præsertim in sylvaticis. — In Vestrogothia hinc inde, rarius tamen, lecta. In insula Laxön prope Elfkarleby Dom. Marklin. — Non solum coelo temperatiore, sed etiam sub frigore 2 — 3 graduum (Thermometr. centigr.), per omnes menses hiemales invenitur in nive ambulans, arane-

am prorsus mentiens. Optimo successu quæritur in nive nuper facto et puro, etiam profundo.

Corpus *Panorpæ hiemalis* Fabr. paullo majus, sed pedibus validis, elongatis. — *Caput* parvum, subglobosum, fusco-testaceum; in vertice pili nonnulli rigidi, antrorsum flexi. *Oculi* laterales, rotundati, nigri, nonnihil prominuli. *Os* crassiusculum, modice productum, pallidum, palpis (duobus) fuscescentibus, parce pilosis, longitudine dimidii capitis. *Ocelli* nulli, quantum equidem observare potui. — *Thorax* parvus, sordide fusco-testaceus, lævis, cinereo subnitens. *Halteres* manifesti, clavati. *Abdomen* ovatum, obscurius fusco-testaceum, ad latera pilosum et certo situ cinereo lineatum, segmentis octo distinctis constans, segmento anali *maris* supra emarginato, subtus dilatato, forfice brevi, valida, instructo. Forfex horizontalis, formatur ex unguibus duobus bi-articulatis, quorum articulus primus crassus, carnosus, apice dentigerus, articulus secundus corneus, linearis, acutus, introrsum flexus. — Genitalia *feminæ* efficiuntur valvulis duabus pallidis, subpellucidis, quarum *inferior* latior, brevior, margine ciliata, apice compressa; *superior* longior, angustior, compressa, adscendens, lamellis duabus constans. — *Pedes* elongati, sublineares, — femoribus tamen crassiusculis, validis, posticis longitudine fere corporis, — mutici, testacei, pilis fuscis subhirti; tarsi elongati, fusci, distincte 5-articulati, articulo ultimo biunguiculato.

Obs. In Iside mentio facta est Dipteri apteri, inventi in monte Jura super nivem *); an nostra Chionea?

*) Isis 1821, 4, Litterarisch. Anzeig. pag. 190.

Insectorum NOVÆ SPECIES.

I. Extraneæ *).

LEPIDOPTERA.

1. PAPILIO Bellerophon.

Alis caudatis flavissimis: anticarum margine fasciisque duabus nigris, interiore abbreviata, exteriore bifida; posticarum striga anguli ani coccinea.

Hab. in Brasilia? Mus. R. Ac. Sc. Holm., et Mus. D. SCHÖNHERR.

Expansio alarum a 2 poll. 10" lin., ad 3 poll. 2 lin.; ab humero ad apicem caudæ posteriorum 2 poll. 2 lin.; longitudo corporis 10 lin. Parisiensium.

Habitus et magnitudo fere Pap. Protesilai cui affinis, licet omnino distinctus. — *Antennæ* nigræ, clava brevi, concolore. *Caput* cum palpis pallide flavum, vertice lineaque frontali fuscis. *Thorax* flavo-albicans, vitta dorsali lineaque laterali et subalari nigris. *Abdomen* album, dorso, lineis lateralibus atque ventrali fuscis.

Alæ supra flavissimæ; anticarum margo exterior niger; in medio fasciæ duæ nigræ, quarum interior a costa non ultra medium alæ producitur, exterior ante angulum interiorem deficit, marginem nigrum haud attingens, ad costam vero bifida. Alæ *posticæ* subdentatæ, cum caudis abdomine longioribus; in ipso margine fascia nigra, posterius interrupta, ibique lunulas formans tres, coeruleo inscriptas; per medium alæ striga longitudinalis fusca, et ad angulum ani fasciola brevis, dentata, coccinea, utrinque nigro cincta, subocellaris.

Alæ *subtus* concolores, posticarum striga media rubro tincta, ab ocello anguli ani usque ad alæ basin recurrens. Cauda gracilis, attenuata, nigra, margine interiore albido.

Obs. Alæ non subhyalinæ ut in Pap. Protesilao. Color paginæ inferioris in nonnullis a flavo ad pallide roseum vergere videtur. Specimina plura examinavi, omnia simillima.

2. PAPILIO Mentor.

Alis caudatis nigris, fascia latissima flava; posticis supra lunulis intramarginalibus flavis, ocelloque anguli ani rufo; subtus flavis, fascia e maculis lunatis ferrugineis et albidis.

Hab. in Brasilia? Mus. Reg. Ac. Sc. Holm., et Mus. D. SCHOENHERR.

Expansio alarum 4 poll., longit. corporis 13 lin. Parisiens.

Habitus transversus Pap. Thoas, magis vero affinis Pap. Polycaon; sed omnino diversus. Alæ posticæ non adeo denticulatæ, sed multo manifestius et fortius caudatæ, atque

*) Eas species *exoticas* vocamus quæ tantum extra Europam occurrunt, *extraneas* vero quarum patria non est Svecia, sive sint exoticæ sive Europææ.

maculis magnis flavis, in utraque pagina, ubi in Pap. Polycaon non nisi lunulæ parvæ obsoletiores virescentes. (A Pap. Thoas multo etiam magis differt, videlicet defectu fasciæ exterioris in alis anticis, posticarum caudis immaculatis, fascia vero discoidali multo latiore, nec maculari.)

Antennæ nigræ. *Caput* flavum, frontis lineis tribus nigris. *Thorax* supra niger, lineolis dorsalibus flavis, tenuissimis, subtus flavus; *pedes* nigri. *Abdomen* flavum, summo dorso nigrum.

Alæ anticæ integræ, supra margine costali et laterali late nigris, relicta fascia vel plaga media latissima flava, quæ post alæ medium procurrit in sinum ad costam, cuique in medio adjecta est macula concolor, intra areolam; — *subtus* pallidiores, ad basin flavo striatæ, margine fusco flavo maculato. (Fascia discoidalis flava in hac specie ad costæ fere finem extenditur, nec ante alæ apicem ita acuminata ut in Pap. Polycaon.)

Alæ posticæ supra ad ipsam basin infuscatæ, ultra medium flavæ, posterius nigræ, lunulis 5 magnis flavis, extrorsum profunde emarginatis, ocelloque anguli ani nigro rubroque. Marginis sinus superiores tantum et sub-anales angustissimi flavi. — *Subtus* ultra medium flavæ, deinde fascia fusca, lunulis 6 ferrugineis totidemque subnexis albidis (interdum obsoletis), ocelloque anguli ani distinctiore, ornatæ. Ipse margo cum cauda fuscus, sed spatium inter illum et lunulas antea descriptas occupant maculæ sex magnæ flavæ, antrorsum rotundatæ, posterius emarginatæ. Caudæ longitudine thoracis, latiores et obtusiores quam in Pap. Polycaon, utrinque nigræ, immaculatæ.

3. Papilio Cebriones.

Alis dentatis nigris, viridi micantibus; anticarum fascia flava maculari, posticarum flavo-glaucescenti, his subtus lunulis flexuosis rubris albo-terminatis.

Hab. — Mus. D. Paykull, et Mus. D. Schoenherr.

Expansio alarum 4 poll., longit. corporis 13 lin. Parisiensium.

Habitus et summa affinitas Pap. Polydamas, sed manifeste major, fasciæ multo latiores, a margine quoque magis remotæ, posticarum glaucescens, propius etiam ad medium alæ sita; coloribus quoque nonnihil diversus, ut plane distinctus.

Antennæ nigræ. *Caput* nigrum, flavo punctatum. *Thorax* niger, collari pectoreque punctis pluribus rufo-aurantiacis. *Abdomen* nigrum, linea laterali rufa.

Alæ anticæ, margine undato, supra nigræ, viridi micantes; paullo post medium fascia lata flava, ex maculis 8 vel 10 oblongis, distinctis, attingens alæ marginem interiorem, nec vero costam nec apicem, antice a margine laterali magis etiam remota; — subtus concolores, haud viridi micantes, nec, ut in Pap. Polydamas, apice pallidiores.

Alæ posticæ supra nigræ, sed admodum viridi micantes, emarginato undatæ, sinubus flavis; alæ medium — ad areolæ finem — percurrit fascia lata, flavo-glaucescens, nervis in maculas 7 oblongas divisa, lunula adjecta prope marginem anteriorem. — *Subtus* atræ, puncto baseos rubro, nebula glauca ad marginem anticum, et ante posticum lunulæ 7 rubræ, magnæ, flexuosæ, quarum intermediæ angulo exteriore albo, nitido; margo extra lunulas certo situ viridi micans, sinubus late albidis.

4. Papilio Albunca.

Alis integris, supra albis; anticis apice acuminatis, costa margineque apicali angustissimo fuscis; subtus anticis apice, posticis totis, pallide ochraceis.

Hab. in Brasilia, D. Westin, Mus. Holmiense.

Expansio alarum 2 poll. 4 lin. Parisiensium.

Magnitudine et fere habitu Pieridis Limnoriæ Godart n. 93; sed alis anticis apice multo magis acuminatis, modo in hoc Subgenere sane insolito. — *Antennæ* nigræ, clava apice pallida. *Caput* cum palpis album, vertice griseo. *Corpus* supra nigrum, albo pilosum, collari sublutescente; subtus album, pedibus concoloribus; ante anum fasciculo distincto pilorum nigrorum, longitudine fere duarum linearum.

Alæ anticæ subtriangulares, apice acutangulo, margine costali vix rotundato, laterali recto; supra albæ, nervo costali margineque subapicali tenuissimo fuscis; basi ad costam paullo infuscatæ. *Posticæ* supra albæ, immaculatæ.

Subtus alæ anticæ albæ, apice pallide albo-ochraceæ; *posticæ* totæ albo-ochraceæ, immaculatæ, margine costali ad basin saturatiore.

5. Papilio Astynome.

Hexapus, alis oblongis, integerrimis, nigris, anticarum plaga baseos fulva, fascia media maculaque subapicali flavis; posticarum fascia flava extrorsum fulva, subdigitata.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich, Mus. Holmiense.

Expansio alarum 2 poll. 7 lin., longit. corporis 10 linearum Parisiensium.

Pertinet ad Pierides Latr. et Godart, proxima Pap. Amphione God. (Cram. T. 232. E. F.; — Herbst T. 71, fig. 5, 6), sed alæ adhuc angustiores, anteriorum macula fulva haud radiata, et punctorum subapicalium loco macula distincta, indivisa.

Antennæ capite cum thorace duplo longiores, clava gracili, alba, apice ochracea. *Caput* fuscum, albo-punctatum. *Palpi* ultra mediam frontem vix assurgentes, albi, linea dorsali fusca. *Thorax* niger, supra atomis subtus maculis magnis flavis. *Abdomen* thorace triplo longius, gracillimum, lineare, fuscum, immaculatum. *Pedes* elongati, nigri.

Alæ anticæ valde angustatæ, apice rotundatæ, omnes margine integerrimæ. Versus basin anticarum fasciæ duæ fulvæ, altera costalis, tenuior, altera media, fere ad alæ medium oblique producta, marginem vero interiorem haud attingens; post medium alæ fascia obliqua flava, puncto nigro inscripta, marginem costalem non vero interiorem attingens, et ante apicem macula rotundata, ejusdem coloris, costæ approximata.

Alæ posticæ supra nigræ, fascia magna discoidali, basi flava, extrorsum fulva, subdigitata; limbus interior sordide testaceus, per fasciam nigram a priore distinctus.

Alæ *subtus* subconcolores; anticæ summo apice albo-inquinatæ; posticæ quam supra pallidiores, maculis baseos fulvis; fascia media flavescens antrorsum divisa linea nigra, transversa; fascia submarginalis fusca, dentata, hinc inde albo inquinata.

Obs. A Pieridibus sic dictis genuinis, hæc species et affines valde discrepant palpis brevioribus, corpore pedibusque elongatis, gracillimis, alis oblongis et toto habitu *Pa-*

pilionum Heliconiorum, quare iis proprium Subgenus, Leptalis dictum, constituimus, præsertim cum etiam discrepent larvæ, collo tentaculato, secundum descriptionem larvæ P. Amphione, qualem dederunt STOLL et GODART.

6. PAPILIO Hercules.

Alis supra nigris, area communi pallide aurichalcea, serie marginali duplice punctorum luteorum; subtus fuscis, maculis pallidioribus albisque variegatis, ocellis singulæ 4; anticarum binis posterioribus magnis, anterioribus minutis, — posticarum anteriore majore.

Hab. in Brasilia, Mus. Holmiense.

Expansio alarum 5 poll. 6 lin.; longit. corporis 1 poll.

E serie Pap. Metelli, Persei, Telemachi &c., specierum inter se quam maxime similium, illisque valde affinis; cum nullo vero ita quadrat, ut Varietatem esse suspicari liceat. — Cum Pap. Telemacho convenit collari rubricante; signaturis quoque paginæ superioris satis similibus, sed color areæ minime cœrulescens. Pagina inferiore differt ocellis alarum anticarum binis, posticarum antico, multo majoribus; nec colores primarii iidem. — Locus in Systemate inter Pap. Perseum et Telemachum.

Descriptio: *Antennæ* thorace fere duplo longiores, nigræ, graciles, apice vix incrassatæ. *Caput* fuscum, punctis verticis duobus albis. *Palpi* albidi, basi rufescentes. *Collare* ferrugineum. *Thorax* sordide fusco-testaceus, posterius pallescens; *abdomen* totum pallide testaceum. *Corpus* pube nec squamis tectum, minime nitidum. *Pectus* testaceum, punctis ferrugineis. *Pedes* dilute fusci, latere anteriore pallidi.

Pagina superior: Alæ omnes nigræ, colore saturato, opaco; intra marginem series duplex punctorum vel macularum lutearum, 6 in singulis, interiores simplices, exteriores subduplicatæ, præsertim in alis posticis. Area interior communis colore singulari, e pallide flavo et viridi, cum nitore aurichalceo, in nigredinem marginis sensim abeunte; in posticis alæ basin attingit, in anticis vero areola nervorum discoidalis tota infuscata, per maculam nigram terminata, adjecta macula subtriangulari pallida, vix determinata. (Seriei macularis tertiæ vestigia, qualia adsunt in Pap. Perseo et Telemacho, in hac specie desunt.)

Pagina inferior: Alæ anticæ fuscæ; juxta marginem costalem maculæ circiter quinque albæ, irregulares; juxta lateralem 6 flavescentes, triangulares, et ante ocellos majores fasciola irregularis, ejusdem coloris. Margo linea ferruginea, duplicata cinctus; post medium alæ ocelli 4, inter nervos 2—6, quorum posteriores magni, atri, iride ferruginea, puncto pupillari albo, anteriores ejusdem coloris sed minutissimi, obsoleti.

Alæ posticæ spadiceæ, griseo mixto, sericeæ, certo situ subviolaceo nitentes; ad costam maculæ 4 vel 5 albæ nitidulæ, fascia ejusdem coloris transversa, linearis, e regione ultimi corporis ad alæ medium ducta (ut in P. Telemacho); limbus fascia duplicata ferruginea, linea nigra interstincta, et ante illam fascia indeterminata violaceo albida. Ocelli sub fascia alba tres, æquales, ex annulis nigris et obscure testaceis, puncto pupillari albo; ocellus qvartus margini superiori proprior, major, prioribus concolor. (Ocelli intermedii nullum vestigium.)

Alarum anticarum margo subinteger, posticarum manifeste dentatus.

7. PAPILIO

7. Papilio Alcimedon.

Alis subdentatis, supra luteo-ochraceis, posticis cœruleo-micantibus, omnibus extrorsum nigris, fasciis marginalibus luteis, macularibus; subtus marmoratis, limbo undato luteo, posticarum ocellis duobus remotis, anticarum unico, minori. ♂. ♀.

Hab. in Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Expansio alarum 3 poll. cum dimidio; longit. 2 poll. 3 lin.

Habitus fere Pap. Ilionei Herbst, etsi duplo vel triplo minor. Ocellorum situs ut in illo, sed remotiores.

Antennæ tenues, apice vix incrassatæ, fusco-testaceæ. *Caput* pallide lutescens, palpis concoloribus. *Corpus* parvum fusco-testaceum, pedibus flavescentibus.

Alarum pagina superior: — discus anticarum ultra medium alæ fusco-lutescens, extrorsum dentatus; limbus alæ a media costa ad angulum interiorem niger, fasciis duabus luteis, interiore flexuosa, arcuata, abbreviata; exteriore maculari, punctis tribus albis, versus apicem, inscripta.

Alæ posticæ basi testaceo fuscæ, ulterius coeruleo micantes, posterius nigræ, serie intramarginali lunularum 5—6 lutearum.

Pagina inferior: alæ anticæ luteæ, in medio fasciis tribus pallide flavis, quarum interiores binæ abbreviatæ, basi fere connatæ, utrinque linea nigra cinctæ, tertia vero longior, interiore tantum margine linea nigra; margo obscure lutescens, strigis duabus nigris, undulatis, exteriore abbreviata, interiore fasciam flavam legente. Infra apicem ocellus parvus niger, annulo flavo punctoque albo; inter hoc et costam puncta 3 alba.

Alæ posticæ testaceo, fusco alboque marmoratæ, relicto tantum margine olivaceo-lutescente, sinuato, striga nigro-flava terminato, aliaque obsoletiore ejusdem coloris inscripto. Discum percurrunt fasciæ duæ albæ marmoratæ, longitudinales; interior recta abbreviata; inter fascias ocelli duo magni, superior ad marginem costalem, ambitu flavescente, iride brunnea, arcu albo (vel littera *C*) inscriptus; alter versus angulum analem, ambitu fusco, annulo flavo, iride nigra, ovata, lunulaque alba, deorsum spectante.

Femina differt colore disci obscuriore, fusco magis mixto, posticis minus cœruleo micantibus, fascia vero lutea, intramarginali, distinctiore.

8. Papilio Aracynthia.

Alis fuscis, cyaneo micantibus, anticis angulatis intra apicem albomaculatis, subtus subconcoloribus; — posticis rotundatis, subtus fusco obsolete marmoratis.

Hab. — — Mus. Dom. de Paykull.

Expansio alarum anticarum 2 poll. 10 lin.

Species elegans, colore cyaneo ardente ut in Pap. Iris, et adhuc fere vivaciore, sed forma aliena et vix ejusdem generis.

Antennæ tenues, nigræ, capitulo gracili, concolore. *Palpi* valde prominentes, capite duplo longiores, primum adscendentes, deinde porrecti, acutiusculi, subtus læves, albidi, supra hirtelli, fusci. *Oculi* nudi, ferruginei. *Caput* fuscum. *Thorax* parvus, fuscus, (ratione magnitudinis insecti minor quam in Pap. Iris). *Abdomen* thoraci concolor, gracile. *Pectus* albidum, pilosum, *pedibus* concoloribus; anticis spuriis, gracilibus, vix nisi femoribus pilosis, posterioribus lævibus, infuscatis.

Alæ supra nigro-fuscæ, disco vero toto splendidissime cyaneo micante, relicto tantum limbo opaco, anteriorum angusto, posteriorum latiore. — Alæ *anticæ* leviter undulatæ, angulo subapicali evidente; ad apicem ornatæ maculis 4 albis, interioribus magnis, fasciam interruptam fere efficientibus, exterioribus parvis. — Alæ *posticæ* rotundatæ, margine obsolete dentato, emarginaturis albis; præter discum cœruleo micantem immaculatæ.

Pagina inferiore alæ anticæ fusco brunneæ, in medio punctis duobus albis notatæ, deinde maculis albis ut in pagina superiore, sed ipso apice antico quoque albicante. — Alæ *posticæ* e fusco brunneoque obsoletissime marmoratæ, vel tantum atomariæ, vix nisi ad basin fascia obscuriore, dentata, notatæ.

Alarum omnium areola discoidalis aperta, et posticarum canalicula nullis pilis a disco distincta.

9. Papilio Hypermnestra.

Heteropus, alis dentatis, supra ferrugineis, anticarum margine fusco, maculis quinque flavis; posticis caudatis, punctis duobus nigris albo-pupillatis; omnibus subtus griseo argenteoque marmoratis.

Hab. — Mus. D. Paykull.

Expansio alarum 2 poll. 8 lin.; Ab humero ad apicem caudæ posteriorum 1 poll. 7 lin.; longit. corporis 7 lin.

Medius quasi inter Pap. Clytemnestra Fabr. et Pap. Astyanax Cram. (Tab. 337, *); magnitudine prioris, habitu alterius.

Caput fuscum; *palpi* albi, lineis duabus fuscis. *Corpus* supra fusco-brunneum, abdomine subferrugineo; subtus griseo-albidum; pedibus concoloribus.

Alæ omnes dentatæ, emarginaturis albis, anticæ triangulares, apice sat acuto, non vero acuminato; supra disco margineque interiore obscure ferrugineæ, extrorsum fuscæ, maculis quinque flavis, triangularibus, discretis, serie longitudinali nonnihil flexuosa dispositis. — Alæ *posticæ* obscure ferrugineæ, ad marginem paullo infuscatæ; inter angulum analem et caudam puncta 2 vel 3 nigra, subocellaria, pupilla alba; caudæ longitudine thoracis, sublineares, fusco-ferrugineæ.

Alæ *subtus* albido-griseæ, argenteo micantes, undique striolis fusco-brunneis confertis irroratæ; observantur fasciæ duæ obscuriores, obsoletæ, altera in alæ medio, subflexuosa, altera ante marginem; — alæ *posticæ* plaga inter angulum analem et caudam striolis destituta, sed punctis nigris, ocellaribus, ut in pagina superiore.

*) Agathon Nob., quia jam alius Papilio Eq. Tr. Astyanax nominatus a Fabricio, Godart, cet.

10. Papilio Themis.

Alis supra luteo-testaceis, anticis extrorsum nigris, flavo-maculatis, ocelloque sub-apicali; posticis supra ocello subanali, subtus griseo-marmoratis, cœcis.

Hab. — — Mus. Dom. Schoenherr.

Expansio alarum fere 3 pollicum.

Ad Erebias nostras (*Hipparchias* Fabr.) pertinet. — *Antennæ* fusco alboque annulatæ, clavula haud determinata, subtus nigra. *Palpi* subtus pallidi, supra fusci. *Oculi* hirti. *Corpus* fuscum,

Alæ anticæ integræ, supra nigro-fuscæ, plaga interiore magna luteo-testacea, obliqua, sinuata; ante alæ apicem maculæ duæ flavescentes, et ocellus ater pupilla cœrulea. *Subtus* concolores, modo maculis pallidioribus, apiceque griseo irrorato. — *Alæ posticæ* supra luteo-testaceæ, margine et lituris intra-marginalibus fuscis; versus angulum ani ocellus parvus, niger, pupilla cœrulescente; *subtus* totæ griseo-rufescentes, fusco-irroratæ et submarmoratæ, punctis ocellaribus obsoletis, nigris albisque.

11. Papilio Arisbas.

Amphipus: alis posticis productis acuminatis, omnibus supra nigris, macula discoidali lutea; subtus albidis, fusco strigosis.

Hab. in Brasilia Dom. Westin. Mus. R. Ac. Sc. Holm.

Expansio alarum anticarum 1 poll. 4 lin.; ab humero ad apicem posticarum 9 lin., longitudo corporis 5 linearum.

Habitus fere Pap. Crotopi, sed alæ posteriores magis productæ. — *Antennæ* fusco-testaceæ, clava parva, gracili, obscuriore. *Caput* griseum, fronte albida; *palpis* concoloribus, perbrevibus. *Corpus* supra nigro-fuscum, subtus griseum. *Pedes* albidi, antici spurii, ciliati.

Alæ omnes supra nigræ, vel nigro-fuscæ, macula discoidali lutea, angulata, *posticarum* versus marginem interiorem adscendente. *Subtus* omnes testaceo-albicantes, strigis aliquot fuscis undulatis, obsoletis, prima prope alæ basin, secunda in medio, tertia, parum manifesta, versus marginem; quarta submarginalis, recta, e lineolis 6 vel 7 tenuissimis, fuscis composita, sæpe obsoleta; præterea alarum anteriorum angulus interior macula fusca notatus.

12. Papilio Apisaon.

Amphipus: alis subdentatis, supra fuscis macula discoidali obscure ferruginea, indeterminata; subtus pallide griseis, fascia media fusca, posticarum punctis marginalibus nigro-albis, medio majore subocellari.

Hab. in Brasilia Dom. Westin. Mus. Holmiense.

Expansio alarum poll. 1, lin. 2.

Magnitudo et habitus Pap. Eustachius Herbst Tab. 93, fig. 8, 9, Tom. 8, p. 77; sed omnino diversus; signaturis paginæ inferioris proximus videtur Pap. Crotopus Herbst Tab. 322, fig. 8, 9, sed alæ in nostra specie ad angulum analem rotundatæ, minime ut in illo productæ; ceterum nec costa lutescens, nec conveniunt reliqui colores.

Antennæ fuscæ, annulo albo distincto ante clavulam nigram. *Caput* fuscum, palpis brevissimis, albis. (*Oculi* magni, subtus versus os approximati, omnino ut in reliquis hujus generis.) *Corpus* supra fuscum, abdominis dorso ferrugineo. *Pedes* lutescentes.

Alæ anticæ integræ, posticæ rotundatæ, subdentatæ, omnes supra nigro-fuscæ, plaga magna obscure ferruginea: *anticarum* oblonga, discoidali, alæ basin nec vero ullum marginum attingente: — *posticarum* alæ interiorem partem fere occupante, et marginem posticum nec vero interiorem, nec alæ basin attingente.

Alæ *subtus* grisescentes, in medio pallidiores, ibique fascia communi fusca, distincta, recta, ad angulum analem tantum inflexa; anticæ versus angulum inferiorem macula fusca indeterminata; *posticæ* serie intramarginali punctorum nigrorum extus albo notatorum, quorum intermedium majus, ocellare; ante hanc seriem fasciæ fuscæ rudimentum.

13. Papilio Caletor.

Amphipus: alis supra nigro-fuscis, anticis albo punctatis, posticis introrsum macula magna alba, punctoque lutescente; omnibus subtus lutescentibus albo maculatis.

Hab. in Brasilia Dom. Baro De Gyllenkrok; Mus. Holmiense.

Expansio alarum 1 poll. 3 lin.; ab humero ad marginem posticarum 8 lin.; longit. corporis 6 linearum.

Habitu omnino Pap. Odin Fabr., coloribus affinis videtur Pap. Flegyas Cram. (Allica Fabr.) — *Antennæ* longitudine dimidii corporis, nigræ, albo annulatæ, clava gracili, apice flavescente. *Palpi* albi, longitudine frontis, articulo apicali nigro, subulato. *Caput* lutescens, oculorum orbita alba. *Thorax* supra niger, subtus, cum abdomine, albus. *Pedes* albi, tibiis tarsisque posterioribus lutescentibus; antici in nostro spurii, pilosi.

Alæ anticæ supra nigræ, punctis albis, inæqualibus, circiter 16, irregulariter adspersis; fimbriæ nigræ, maculis 4 albis. — *Posticæ* apice subangulatæ, antrorsum et extrorsum nigræ, introrsum albæ, macula discoidali lutescente, punctisque analibus fuscis, obsoletis; fimbriæ albo nigroque variæ.

Subtus anticæ brunneo lutescentes, punctis maculisque albis distinctioribus, margine costali ad basin luteo. *Posticæ* fere albæ, antrorsum confertim brunneo maculatæ, posterius fascia lutescente et serie intramarginali punctorum obscuriorum.

14. Papilio Paridion.

Amphipus: alis nigro-fuscis, supra atomis viride-aureis, fasciisque cinerascentibus; anterioribus subtus macula crocea, subbasali.

Hab. in Brasilia, Dom. Baro de Gyllenkrok. Mus. R. Ac. Sc. Holm.

Expansio alarum 1 poll. 3 lin., longitudo corporis 5 lin.

Habitus fere Pap. Sagaris, alæ tamen magis acuminatæ, et anteriorum costa medio sinuata (ut in Pap. Menetes Stoll.). — *Corpus* et alæ supra atomis viridibus, micantibus, ut in Papilione *Paris*, a quo derivatio nominis.

Antennæ longitudine fere corporis, nigræ, clavula elongata, apice pallida. *Caput* parvum nigrum, fronte viridi micante. *Palpi* brevissimi, albidi, (forte detriti). *Oculi magni*, in mortuo lutescentes. *Corpus* supra nigrum viridi atomarium, subtus fuscum. *Pedes* nigro fusci, antici in nostro, masculo, modice villosi.

Alæ omnes supra fuscæ, basi fasciaque media latiuscula viridi-atomariis; paullo ante marginem linea manifesta, anteriorum plumbea, posteriorum viridis, et post illam stria tenuis nigra.

Subtus alæ omnes fuscæ, fasciis aliquot obscurioribus, valde obsoletis; anteriores macula crocea, sat magna, subtriangulari, alæ basin haud attingente.

Obs. Hic Papiliunculus coloribus ideam revocat Papilionum majorum, videlicet atomis viridibus paginæ superioris ut in Pap. Paris, et macula rubra paginæ inferioris ut in Pap. Memnon et affinibus.

15. Papilio Satnius.

Amphipus: alis integerrimis nigris; anticis utrinque fascia media obliqua crocea, lata, lineari et continua.

Hab. in Brasilia Dom. De Gyllenkrok. Mus. Holmiense.

Expansio alarum 1 poll.; ab humero ad apicem posticarum interiorem 4½ lin.; longit. corporis 3 linearum.

Antennæ longitudine fere corporis, nigræ, clava gracili, obtusiuscula. *Caput* nigrum, immaculatum, palpis brevissimis, fuscis. *Corpus* nigro-fuscum, immaculatum, pedibus concoloribus, anticis in nostro (♀?) gracillimis, haud ciliatis.

Alæ transversæ, integerrimæ, nigro-fuscæ, minime cyaneo micantes; anticarum fascia fulva vel crocea, lata, linearis, valde obliqua, ante medium costæ incipiens et ad angulum inferiorem ducta, continua, ut ipse nervus costalis et anguli ciliæ ejusdem sint coloris. Alæ *posticæ* margine posteriore haud rotundato, nigræ, immaculatæ.

Subtus alæ omnino concolores, ciliis nigro-fuscis, anticarum in summo apice alae et ad angulum inferiorem (ad finem fasciae) puncto albo notatis.

16. Papilio Halius.

Amphipus: alis concoloribus nigris, disco luteis, anticarum nigredine fascia media pallide flava, posticarum punctis ejusdem coloris interstincta; harum macula disci nigra.

Hab. in Brasilia, Dom. De Gyllenkrok, Mus. Holmiense.

Expansio alarum poll. 1, lin. 5; longit. corporis lin. 6.

Habitus fere Pap. Micalia. *Antennæ* nigrae, clava elongata, gracili. *Caput* nigro-fuscum, palpis concoloribus, brevissimis. *Corpus* nigrum, maculis humeralibus, pectoralibus et ventralibus lutescentibus. *Pedes* nigri, antici spurii, pilosi.

Alæ integræ; *anticæ* costa dimidioque exteriore nigris, cum fascia lata flava, obliqua, nec costam nec marginem attingente; dimidio interiore vero luteo. *Posticæ* disco luteo, prope basin macula longitudinali nigra, parallelipipeda; margo posterior niger, fascia introrsum undata, punctisque flavis interstincta. Alæ omnes subtus concolores, paullo palllidiores, punctoque albo in summo apice anticarum.

17. Papilio Parthaon.

Amphipus: alis supra nigris, anticis macula fasciaque maculari submarginali cœruleis, posticis plaga magna aurantiaca; subtus cœruleo-canis, nigro-punctatis.

Hab. in Brasilia, Dom. Gyllenkrok. Mus. Holm.

Expansio alarum poll. 1, lin. 4; longitudo corporis lin. 6.

Habitus fere Pap. Thersander Herbst. — *Antennæ* nigræ, clava gracili, apice pallidiore. *Caput* nigrum, fronte subtus albida, oculis magnis, fuscis. *Palpi* compressi, pallidi, ultra medium frontis assurgentes, articulo apicali gracili, terete, nutante. *Corpus* supra nigrum, subtus pallidum, abdominis dorso postice lutescente. *Pedes* albicantes, antici in nostro breves, valde ciliati.

Pagina superiore alæ anticæ nigræ, pone medium versus costam macula cœrulea, ovata, nitida, et ante marginem striga ejusdem coloris, e maculis 6 vel 7 composita; ipsæ fimbriæ albo maculatæ. *Posteriores* basi margineque nigræ, relicta plaga magna aurantiaca, subquadrata, angulum analem, nec vero exteriorem attingente; prope basin etiam puncta aliquot crocea, obsoleta. Fimbriæ his immaculatæ.

Subtus alæ omnes cœrulescenti-canæ, punctis et strigis nigris adspersæ, maculisque majoribus versus marginem.

18. Papilio Agrius.

Amphipus: alis supra brunneis, strigis punctisque nigris; lineolisque ad nervorum apices albide-plumbeis; subtus basi cœrulescenti-canis, apice fuscis, nigro-punctatis.

Hab. in Brasilia, Dom. Gyllenkrok. Mus. Holmiense.

Expansio alarum poll. 1, lin. 3.

Habitus omnino Pap. Crispus Fabr., sed major et aliter coloratus. — *Antennæ* corpore paullo breviores, nigræ, albo-annulatæ, clava obscura. *Palpi* capite breviores, graciles, albidi, articulo apicali parvo, acutiusculo, nigro. *Caput* fusco-ferrugineum, fronte subtus alba. *Corpus* supra obscure ferrugineum, subtus albicans. *Pedes* albi, antici abbreviati, pilosi.

Alæ omnes supra brunnei, vel saturate ferruginei, punctis lineolisque abbreviatis atris irregulariter adspersæ; tantum series intramarginalis punctorum nigrorum regularis; ad nervorum radiantium apices lineolæ distinctæ, albido-plumbeæ, parum nitidulæ, ipsum marginem non attingentes. Fimbriæ breves, nigræ, anticarum apicem versus albo-punctatæ.

Subtus alæ versus basin cœrulescenti-albidæ, anticæ exteriore dimidio, posticæ angulo tantum exteriore, fusco-brunneæ; undique adspersæ punctis nigris, ut in pagina superiore.

19. Papilio Agacles.

Amphipus: alis niveis, limbo supra nigro-fusco albo-maculato; subtus fusco-ochraceo, striis cœrulescentibus.

Pap. Athemon Var. Clerk Tab. 46, fig. 3.?

Hab. in Brasilia Dom. Gyllenkrok, Mus. Holmiense.

Expansio alarum poll. 1; longit. corporis lin. 3.

Habitus fere Pap. Lamis; parvus, tener. — *Antennæ* longitudine fere corporis, supra fuscae, albo-annulatae, subtus lutescentes. *Palpi* capite manifeste longiores, nivei, articulo apicali fusco, conico-acuminato. *Corpus* supra nigro-fuscum, subtus album. *Pedes* albi.

Alæ supra niveæ, limbo omnium laterali, et anticarum quoque costali, nigro-fuscis; posticarum lineola obsoleta, anticarum punctis duobus versus marginem lateralem, maculaque prope costam, albis.

Alae etiam *subtus* niveae; limbus simili ratione ac supra pictus, sed colore ad ochraceum vergente, et maculis albis majoribus, distinctioribus, lineolisque cyanescentibus, nitentibus, prope costam duabus, ad marginem unica, cum rudimento secundae inter maculas albas. Alarum *posticarum* limbus lineola alba, distinctiore, notatus; omnium ciliae albae.

Obs. Figura Clerkii citata hanc speciem forte spectare videtur, etsi dimidia parte major, et alae anticae etiam supra ad costam ut cœrulescentes depictae, et fasciola fusca subtus in medio alarum posticarum omnino desit in nostro specimine. — Pap. Athemon Clerk Tab. 37, fig. 3, 4, omnino diversa videtur species.

20. Papilio Zephyritis.

Amphipus, alis nigris maculis fenestratis per nervos interruptis; anticarum plaga cœrulescente; omnibus subtus striga submarginali crocea.

Hab. — — Mus. Dom. Paykull.

Expansio alarum poll. 1, lin. 8; longit. corporis lin. 7.

Primo intuitu affinis videtur Pap. diaphano, sed accuratiore indagatione congenericus invenitur Pap. Euterpe, Calliope, Susanna et reliquis, quibus convenit antennarum et palporum forma, alarum nervis, atque toto habitu. — *Antennæ* nigræ, clavula subtus medio alba. *Frons* alba, lineola nigra, palpis albis, apice nigris. Vertex fasciculis duobus nigris, punctoque albo. *Oculi* magni, brunnei. *Corpus* supra fuscum, subtus albidum, macula humerali, lineola ventrali anoque luteis. *Pedes* fusci.

Alæ anticæ supra atræ, versus marginem interiorem cœruleæ; maculæ tres hyalinæ, prima in disco, ab alæ basi ad medium ducta, elongata, bifida; secunda infra apicem, nervis tribus divisa, ut quatuor maculis constans; tertia ante angulum inferiorem, macularis, nervo unico interrupta; margo lateralis punctis tribus albis, atque linea crocea. — *Subtus* concolores.

Alæ *posticæ* supra atræ; fascia fenestrata a margine interiore ad angulum exteriorem oblique ducta, et nervis in quinque maculas divisa; margo niger, striga crocea; *subtus* fere concolores, sed antrorsum cœrulescentes; ad basin fascia brevis crocea, et ad marginem posticum striga ejusdem coloris.

21. Sphinx Osiris.

Alis integris, anticis fuscis, striis fasciaque obliqua pallidis; posticis roseis fasciis duabus nigris, anteriore interrupta; abdomine basi nigro et roseo fasciato, lineisque longitudinalibus pallidis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius; Mus. Holmiense.

Statura et summa affinitas *Sph. Celerio* et *Oldenlandiæ*, sed major et omnino distinctus. Differt præsertim abdominis segmentis 1 & 2 fasciatis, fere ut in *Sph. lineata* Fabr. et affinibus.

Expansio alarum 3½ poll., longit. corporis 1 poll. 10 lin. Parisiens.

Antennæ albidæ. *Caput* fuscum linea laterali albida; *palpi* albi summo dorso infuscato. *Thorax* supra fuscus, colore ad brunneum vel olivaceum vergente, vitta laterali aliaque dorsali albidis, interjecta utrinque lineola abbreviata aureo nitida. *Abdomen* elongato conicum, acutum, supra griseum, linea dorsali pallida, geminata, et utrinque lineola laterali aureo nitidula, basin haud attingente; segmenta 1 et 2 lateribus pallide rosea, fasciisque nigris notata, posteriore breviore. Lineola fusca, quæ lineam dorsalem percurrit, in hac specie integra, nec ut in *Sph. Celerio* et *Oldenlandiæ* interrupta. *Corpus* subtus totum griseo albidum, pedibus concoloribus, tibiis albidioribus.

Alæ superiores coloribus et signaturis fere ut in *Sph. Oldenlandiæ*, fascia media obliqua vero unicolor, absque lineola candida, et fascia media — cujus in *Sph. Oldenlandiæ* et *Celerio* non nisi rudimentum baseos — ab alæ basi ad apicem protensa, subintegra. Alæ inferiores magis differunt: dilute roseæ, margine postico griseo; fascia media nigra, intus interrupta, macula interiore distincta ovali; fascia posterior nigra, determinata, ad angulum analem latior, — cum in speciebus antea allatis extrorsum latior et versus angulum analem evanescens. Alæ omnes subtus lutescenti griseæ, fusco atomariæ, angulo anali pallide rufescente.

22. Sphinx Croesus.

Alis superioribus olivaceis, fasciis obliteratis strigaque subapicali albidis; inferioribus luteis, basi nigra, margine fusco olivaceo, omnibus subtus lutescentibus, griseo-striatis; abdomine lateribus flavo-aureis.

Hab. — — Mus. Dom. de Paykull.

Longit. corporis 1 poll. 5 lin., Expansio alarum 2 poll. 4 lin.

Species elegans, habitu *Sph. Nerii*, sed multo minor, abdomine acutiore et inaurato in hoc genere singularis.

Lingua longa, pallida. *Palpi* flavi, nitiduli, apice rufescentes, compressi, obtusi. *Oculi* magni, brunnei. (*Antennæ* in nostro desunt.) *Caput* et thorax olivacea, linea laterali rufescente albida, lineolaque thoracis dorsali, ejusdem coloris; thoracis latera certo situ auro vel aurichalco nitentia. *Abdomen* longum, valde acutum, supra olivaceum, segmentorum marginibus pallide grisescentibus, punctoque uno alterove dorsali aurichalceo. *Corpus* totum subtus flavum, abdomine præsertim ad latera aureo vel aurichalceo, pulchre micante, lineis vero nullis distinctis. *Pedes* abdomini concolores, tarsis testaceis.

Alæ

Alæ integerrimæ, superiores ante apicem et ad marginem interiorem leviter sinuatæ, olivaceo-virescentes, ante medium albido nitentes; strigis tribus saturatioribus, obliquis; sub apice summo lineola vel macula abbreviata alba. Alæ posteriores prope basin nigro-fuscæ; medium occupat fascia lata, saturate lutea, margo posticus latus fusco-olivaceus, ad angulum analem desinens. Alæ subtus flavo-lutescentes, sublucidulæ, strigis tribus obscurioribus; superiores basi ferrugineæ, apicem versus virescentes.

23. Zygæna concinna.

Alis angustatis, anticis fuscovirentibus, punctis 5 flavis rubrisve; posticis rubris margine exteriore nigro; corpore nigro-virescente, palpis, thoracis maculis, ano pedibusque, flavis; abdominis cingulo lato rubro.

Hab. ad Promontor. Cap. bon. Spei. Mus. Dom. de Paykull.

Longitud. corporis 4 — 5 lin. Paris. — Expansio alarum 10 — 11 lin. — Genuini *Zygænarum* generis, sed alæ ratione corporis breviores et angustiores quam in Z. europæis.
— *α*. Alis anticis angustatis, punctis rubris; segmentis ventralibus anticis flavo-punctatis, intermediis rubro-marginatis (Anne ♂?).
— *β*. Alis anticis minus angustatis, punctis flavis; segmentis ventralibus omnibus flavo marginatis. (♀?)

Antennæ longitudine dimidii corporis, totæ nigræ, parum nitidæ, extrorsum valde incrassatæ, apice breviter acuminato. *Palpi* flavi, breves, compressi, fimbriati. *Lingua* elongata nigra. *Caput* et *thorax* nigro-virescentia, nitidula, utrinque puncto ante et pone oculos, alioque collari et striga acromii, saturate flavis; scutelli apex lutescens. *Pedes* simplices, omnes flavi, femorum linea dorsali nigro-virescenti. *Abdomen* cylindricum varicolor: segmenta 1 — 4 nigro-virescentia, nitidula, singulis punctum dorsale minutum, flavescens, et aliud ad latera inferiora; — 5, 6, 7 supra rubra, puncto dorsali nigro, triangulari, subtus obscura, margine tantum rubro; segmentum 8:m iterum virescens, anale luteum, non barbatum.

Alæ anticæ valde angustatæ, fusco-virescentes, vix nitidæ, punctis 5 rubris, basali elongato, reliquis per paria oblique dispositis, fere ut in Z. Filipendulæ: — *posticæ* rubræ, margine nigro sat lato, ante angulum analem vero desinente. Alæ subtus concolores, anticæ disco fere toto rubricante.

— Var. *β*. differt alis anticis minus angustis, punctis *flavis*, ejusdem vero magnitudinis et dispositionis ac in *α*. *Corpus* et pedes ut in illa, sed abdominis segmenta ventralia fere omnia margine lato flavo ornata, intermedia lateribus rubra.

Obs. Alarum posteriorum discus in nostris detritus, quod tamen casu factum arbitramur.

24. Ægocera? Amalthea.

Nigra, abdomine flavo, nigro-lineato; alis atris, anticarum fascia obliqua posticarum macula discoidali saturate flavis.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin. Mus. Holmiense.

Expansio alarum a poll. 1 et lin. 9, ad poll. 2; longit. corporis 10 lin.

Ad genuinas Ægoceras certe non pertinet, forte proprii inter Zygaenides generis; nescio cui proximum. *Antennæ* fere ut in Zygaenis propriis, etsi graciliores et minus clavatae; alae forma ad Noctuas accedere videntur, posticae vero quam in illis magis rotundatae.

Antennæ thorace duplo longiores, nigrae, immaculatae, tenues, ante apicem sensim incrassatae, apice vero iterum attenuatae, ut clavatae vix dici queant; articulis brevissimis, vix discernendis. *Caput* nigrum, pilosum; *palpi* concolores, dimidiam frontem adaequantes, pilosi, articulo apicali parvo, obtuso. *Lingua* elongata. *Oculi* mediocres. — *Corpus* gracile; thorax niger, hirsutus, annulo collari lutescente, obsoleto. *Abdomen* alis longius, elongato-conicum, luteum, linea dorsali laterali et ano nigris. *Pedes* nigri, pilosi.

Alæ atrae, *anticæ* post medium fascia obliqua lutea, lineari, nec costam nec marginem attingente; — *posticæ* macula magna discoidali flavo-lutea, extrorsum rotundata, introrsum versus alae basin producta. Alae omnes subtus omnino ut supra, colore tantum nigro pro atro.

25. Charidea? Baucis.

Corpore coccineo, nigro maculato, abdominis linea laterali et tegularum margine albis; alis nigris, costa ciliisque albis.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin. Mus. Holmiense.

Expansio alarum poll. 2; longit. corporis lin. 9.

De genere quam maxime haereo; ad genuinas Charideas haud pertinet, vix vero ad Bombycum genus quoddam, etsi affinis videtur Arctiis Latr. — *Antennæ* totae nigrae, dimidio corpore longiores, omnino pectinatae, apice angustatae, (forma fere ut in Charidea). — *Caput* coccineum, oculis parvis nigris. *Palpi* breviusculi, ultra mediam frontem vix assurgentes, compressi, pilosi, coccinei, articulo apicali brevissimo, fusco, conoïdeo. *Lingua* elongata, nigra. *Corpus* crassiusculum, coccineum; *collare* punctis duobus nigris; *thorax* tegulis magnis nigris, albo-marginatis; *abdomen* segmentis tribus anterioribus supra aut totis aut saltem ad partem nigris; subtus nigrum, linea laterali alba. *Pedes* mediocres, coccinei, nigro-annulati, tibiis posticis medio distincte bicalcaratis.

Alæ oblongae, integerrimae, concolores, nigrae, vel nigro-fuscae, margine costali a basi ad medium usque distincte albo, ciliisque omnibus manifeste albis.

26. Callimorpha bellatrix.

C. lutea, corporis maculis alarum maculis fasciisque flexuosis nigrocyaneis.

Hab. — — Mus. Dom. de Paykull.

Expansio alarum poll. 2, lin. 4; longit. corporis lin. 11.

Habitus omnino C. Dominulae; elegans species. Color corporis et alarum flavo-luteus. — *Antennæ* nigrae. *Caput* luteum, fronte oculisque nigris. *Lingua* lutescens. *Palpi* lutei, apice nigri, ultra frontem assurgentes. *Thorax* maculis 6 nigro-cyanescentibus, videlicet duabus collaribus, tribus dorsalibus, majoribus, et sexta scutellari. *Abdomen* lineare, luteum, serie dorsali punctorum nigrorum, subtus maculis atris. *Pectus* nigro-maculatum; *pedes* nigri.

Alæ luteae, *anticæ* fasciis quatuor nigro-cyaneis; prima interrupta, secunda subrecta, tertia arcuata, quarta sinuata; deinde maculae duae oblongae, inaequales, et tandem series punctorum in ipso margine. *Alæ posticæ* fascia ante medium, lunula centrali, fasciaque intramarginali, medio interrupta, margineque punctato. *Pagina inferior* a superiore nullo modo differt.

27. Drepana apiculata. *)

Dr. alis falcatis, supra pallide testaceis, omnibus linea obliqua obscuriore; subtus lutescentibus, linea brunnea, apiceque griseo.

Hab. in Brasilia, Dom. Baro de Gyllenkrok, Mus. Holmiense.

Expansio alarum poll. 1, lin. 4; longit. corporis lin. 6.

Magnitudo et habitus Drepanae falculae, sed alarum posticarum angulus analis magis productus, nec rotundatus. — Specimen masculum. *Antennæ* testaceae, pectinatae, apice simplices. *Caput* lutescens, palpis, linguaque sat longa, testaceis. *Corpus* testaceo-albidum, abdominis apice et pedibus lutescentibus.

Alæ supra pallide-testaceae, undulis nullis, anticae apice curvato, omnino ut in Dr. falcula, striga tenui brunnea, a margine interiore ad apicem oblique ducta, strigisque duabus abbreviatis ad costam, haud manifestis. *Alæ posticæ* paullo pallidiores; in medio, versus marginem interiorem, stria subtransversa obscuriore, nec ultra alae discum producta; haec stria paullo anterius est quam fascia paginae inferioris, cujus umbra in superiore observatur. — Subtus alae omnes coloris lutei, amœni, fascia fusco brunnea distinctiore; anticarum obliqua, alae apicem infuscatum nec vero marginem interiorem attingente; posticarum transversa, integra.

28. Euprepia venusta.

Alis anticis albidis, atro punctatis sanguineoque maculatis; posticis rubris, limbo nigro sinuoso.

Hab. — — Mus. D. Paykull.

Expansio alarum poll. 1, lin. 8.

Media quasi inter Eupr. bellam et E. ornatrix, sed ab utraque omnino distincta, perpulchra species. *Antennæ* nigræ. *Corpus* album, capitis thoracisque punctis atris, maculaque humerali rubra; ad latera abdominis series punctorum nigrorum. *Pedes* albi, nigro lineati, tarsis nigris.

Alæ anticae supra albae, seriebus sex transversis punctorum atrorum, pari spatio remotis, sinuatis, praeter sextam marginalem, quae recta punctis pluribus constat: inter has series maculae sanguineae, — fere ut in Eupr. pulchra, sed pauciores, — et ante

*) Drepana Schrank, Platypteryx Laspeyres. — Drepanae denominatio omnino præferenda, magis enim significans, brevior, nec cacophona ut altera. Vox *pteryx* jam ab antiquioribus Auctoribus ad designandam Piscium pinnam occupata est, ergo illius flexionis nomina pro Piscium generibus apta, minime sunt usurpanda pro Insectorum, quae melius per *pterus* vel *ptera* formanda. — *Platyptera* vero jam audit genus *Dipterorum* Meigenio.

marginem fasciola abbreviata ejusdem coloris. Alae *posticæ* saturate roseae, limbo exteriore nigro, profunde sinuato, intus albo-marginato, ciliis albis, extrorsum nigro maculatis. Alae omnes subtus rubrae, ad costam punctis atris albo annulatis, posticis limbo nigro sinuato ut in pagina superiore.

Obs. In Eupr. bella alarum anticarum fascia quinta antrorsum bifida, in Eupr. venusta simples; posticarum limbus niger in Eupr. venusta quam in E. bella profundius sinuatus.

29. NOCTUA Juno.

Alis superioribus olivaceo-griseis, stigmate fusco, lineisque duabus albis, obsoletis; inferioribus pallide rufis, macula magna atra, fasciola cœrulescente inscripta.

Hab. — — Mus. Dom. de PAYKULL.

Expansio alarum poll. 3, lin. 4; longit. corporis poll. 1, lin. 3.

Ad Ophiusas OCHSENH. pertinere videtur. Habitus N. Tirrhaeae, etsi multo major; palpi fere ut in illa, articulo apicali tamen paullo breviore, subconico. — *Antennæ* setaceae, dimidio corpore fere longiores, ferrugineae. *Caput* fusco-ferrugineum, palpis pallidioribus. *Lingua* longa, brunnea. *Thorax* crassus, fusco-ferrugineus. *Abdomen* dorso fuscum, lateribus et apice atque subtus pallide rubrum. *Pectus* villosum, rufescens, pedibus concoloribus, tarsis fuscis.

Alæ superiores olivaceo-griseae, stigmate ordinario reniformi fusco, et striis duabus pallidis, obsoletis, altera in medio alae, altera ab angulo interiore ad apicem ducta; margo punctis nigris, ad nervorum fines. Alae *inferiores* subdentatae, basi lividae, apice pallide rufescentes, macula discoidali magna, atra, ocellari, videlicet inscripta fasciola albo-cœrulescenti flexuosa; angulus ani nigro-pilosus. Alae omnes *subtus* pallide rufescentes, anticae macula centrali alteraque exteriore majore, nigris; posticae immaculatae.

29. NOCTUA Lucretia.

Fronte alba, fascia nigra; alis superioribus albo-cinereis, undulis maculaque marginis interioris fuscis; inferioribus nigris, fascia flava; omnibus subtus flavis, macula centrali apiceque fuscis.

Hab. — — Mus. Dom. de PAYKULL, a Dom. T. LUND communicata.

Expansio alarum poll. 1, lin. 2.

Ad Catocalas OCHSENH. pertinere videtur secundum picturam et alas superiores rude squamatas, sed palporum articulus apicalis quam in Catocalis longior et obtusior, fere clavatus. — *Antennæ* fuscæ. *Caput* griseum, fronte distincta, quadrata, nivea, sub antennis linea atra. *Palpi* erecti, capite manifeste longiores, haud hirsuti, grisei, articulo basali albo. *Thorax* griseus. *Abdomen* et totum corpus subtus pallide testacea, pedibus albis, anticis nigro- annulatis.

Alæ superiores albidae, atomis griseis et olivaceis irroratae, ante apicem strigis undatis, et versus marginem interiorem maculis indeterminatis fuscis. Alae posticae subnigrae, fascia media emarginata margineque pallide-luteis. *Subtus* alae omnes lutescentes, macula vel fascia centrali, fasciaque intra-marginali latiore fuscis, relicto tamen ipso margine lutescente. In alis anticis apicis nigredo in medio fere confluit cum linea centrali.

COLEOPTERA.

31. Melolontha pruinosa.

M. oblongo-ovata, rufo-brunnea, albo micans; elytris punctatis, costis quatuor obsoletis.

Hab. in Nova Hollandia, Dom. Hooker. Mus. Reg. Ac. Scient. Holm.

Longitudo lin. 6. — Ad Melolonthas sic dictas *byrrhinas* pertinet. Colore omnino M. variabilis, ejusdem fere habitu, attamen magis elongata et multo major, M. atram aequans. A M. variabili & brunnea manifeste differt clypeo integro et elytris haud striatis.

Caput obscure rufo-brunneum, punctatum; clypeus semicircularis, integerrimus, margine valde reflexo. Oculi nigri, parum prominuli. Palpi rufescentes, *Antennae* parvae, ferrugineae, clava parva, obovata, pallida, triphylla. *Thorax* quam longus duplo latior, tenuiter marginatus, basi sinuatus, antice paullo angustior, angulis prominulis, supra convexus, certo situ albido micans, subtiliter sed sat conferte punctatus, impressionibus nullis manifestis. *Scutellum* semi-ovatum, vix punctulatum, thoraci concolor. *Elytra* basi thoracem adaequantia, quam lata duplo longiora, posterius sensim dilatata, apice subtruncata, supra convexa, colore saturate brunneo ad rufum vergente, certo situ pruina albida fugace micantia; in singulo costae quatuor, praeter suturam et marginem, obsoletae, interstitiis conferte punctatis. *Corpus* subtus pallidius rufescens, abdomine saturatiore, pygidio punctato, rotundato, ferrugineo ciliato. *Pedes* abdomini concolores, pilis rufis sparsis; tibiae anticae subtridentatae; tarsi graciles, articulis elongatis, subaequalibus. *Alæ* albidae.

32. Buprestis cicatricosa.

B. obscure aenea, punctata, elytris muticis luteis, nigro punctato-cicatricosis.

Hab. in Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Secundum dispositionem nostram Buprestis generis, (in Schoenh. Syn. Ins. P. III. Append. p. 227,) ad familiae II:æ Sectionem I:m, Subdivisionem 3:m, pertinet.

Magnitudo B. variabilis Schoenh. sed crassior. *Caput* deflexum, obscure aeneum, conferte punctatum, aequale; os productum, nigrum. *Antennæ* thoracis basin attingentes, tenues, subserratae, obcure aeneae. *Oculi* magis distantes brunnei. *Thorax* brevis transversus, antice paullo emarginatus, lateribus rotundatus, ad basin subrectus angulo parvo scutellari, angulis posticis acutis, supra convexus aequalis, totus obscure aeneus, conferte rude punctatus. *Scutellum* parvum suborbiculare, punctiforme, aeneum. *Elytra* ad basin thoracis latitudine, illo fere quadruplo longiora, angulis humeralibus subrectis, non prominulis, pone medium sensim angustata, apice rotundata, mutica, supra parum convexa, lutea, undique aequaliter punctato-cicatricosa, punctis magnis profundisque nigris, confluentibus, certa luce cyaneo micantibus, versus scutellum subseriatis, ceterum absque ordine sparsis. Ipse margo luteus, non nisi subtilissime punctulatus. *Corpus* subtus obscure æneum, nitidum, pectore rude, abdomine temere punctatis, pedibus brevibus, simplicibus, concoloribus. Segmentum anale in nostro specimine truncatum. *Abdomen* a tergo corpori concolor, margine lutescente. *Alæ* obscuræ.

33. Buprestis torquata.

B. ænea, elytris punctatis rugosis, apice attenuatis, thorace læviore fasciis duabus impressis, arcuatis.

Hab. in Jamaica. Mus. D. Schoenherr.

Longitudo poll. 1, lin. 2.

Habitu et colore B. a e n e a e Linn. Gyllh., sed multo major. Corpus totum fusco-æneum, supra glabrum, nitidum, subtus pube pallida obtectum. *Caput* deflexum, fronte rugosa. *Antennæ* thoracis dimidium attingentes, æneo-fuscæ, obtuse serratæ. *Thorax* transversus, antice angustior et late emarginatus, lateribus modice rotundatus, basi sinuatus, angulis valde prominulis; supra convexus, ad latera variolosus, dorso lævis, sed fasciis duabus impressis, pubescentibus; antica medio interrupta, postica latissima, continua, arcuata, antrorsum spectans. *Scutellum* parvum, punctiforme. Elytra thoracis basi multo latiora, posterius attenuata, apice elongata, bidentata; supra modice convexa, punctata et subrugosa, certo situ substriata, interstitiorum maculis seriatis nitidis, obscurioribus; linea intramarginalis impressa, flavo-pubescens, ab humero ad apicem ducta. *Corpus* subtus valde convexum, rugosum, pallide pubescens; segmento anali in nostro specimine, ♀, integro. *Pedes* corpori concolores, forma ordinaria.

34. Buprestis sulcicollis.

B. viridiænea, thorace punctato, margine laterali dilatato; elytris striatis, apice serratis.

Hab. in Brasilia. Mus. R. Ac. Holm.,

Longitudo 1. poll. latit. 5. lin.

Magnitudo & fere statura *B. Fabricii* Rossi, Herbst, sed omnino diversa thorace punctato, lateribus dilatato, et elytris striatis. *B. angulari* nostræ (Schœnh. Syn. III. App. p. 119.) convenit colore, sed longe distat capite haud canaliculato, thoracis forma et colore, atque elytrorum sulcis numerosioribus, obsoletioribus.

Caput æneum, æquale, punctatum; os viride. *Antennæ* tenues, thoracis medium attingentes, virides, nitidæ, obtuse serratæ. *Oculi* oblongi, castanei, haud approximati. *Thorax* antice truncatus, angulis deflexis, basi latior subsinuatus angulis rectis, pone medium manifeste dilatatus, margine reflexo, supra convexus, obscure viridi-æneus, evidenter et conferte punctatus, sulco dorsali aurato, integro, parum profundo. *Scutellum* transversum, parallelipipedum, auratum. *Elytra* basi thoracis basin adæquantia, pone medium paullo latiora, apicem versus angustata, ibique serrulata, apice in dentem desinente; supra modice convexa, viridi-ænea, striis inæqualibus, in singulo circiter 9, parum profundis et hinc inde interruptis; interstitia convexa, lævia; linea intramarginalis lævis, latiuscula. *Corpus* subtus viridi-aureum, colore ad cupreum vergente, subtilissime punctatum, pedibus concoloribus.

35. Buprestis stellulata.

B. viridi-aurea, fronte rubra, impressa, thorace punctato, carina laterali intramarginali; elytris violaceis, punctis pluribus albis.

Hab. in Nova Hollandia, Dom. Mack-Leay, Mus. R. Acad. Scient.

Longit. $5\frac{1}{2}$ lin., latit. elytrorum 2 lin.

Bupr. rutilante minor, statura ad *Bupr. undatam* accedens. *Antennæ* thoracis dimidium vix attingentes, filiformes, aureo rubræ, non nisi obsolete serratæ. *Caput* conferte punctatum, inter oculos rubrum, impressum, carinula medii abbreviata; vertex viridis. *Os* rubrum, mandibulis concoloribus, apice nigris. *Oculi* magni, ovati, glauci, pellucidi, in vertice valde distantes. *Thorax* brevis, transversus, angulis anticis deflexis, basi bisinuatus, lobo scutellari truncato, convexus, conferte et evidenter punctatus, aureo-viridis, nitidus; latera thoracis marginata, et intra marginem carina distincta, integra, margini parallela; ante scutellum foveola rotundata. *Scutellum* viride, transversum, apice prominulo acuto. *Elytra* thorace manifeste latiora, illoque triplo longiora, apice integra (l. subtilissime serrulata), dorso parum convexa, scabriuscula, violacea, nitida, punctis parvis niveis, e squamulis appressis, adspersa, in singulo elytro circiter 16 l. 18, majoribus symetrice digestis. *Corpus* viridi-aureum, nitidum, subtilissime punctatum, segmento anali in nostro integro; pectoris abdominisque latera maculis albo-pubescentibus notata; abdomen a tergo viride. *Alæ* pallidæ, apice fuscæ. *Pedes* virides, mutici.

36. Buprestis xantholoma.

B. lineari-elongata, thorace brevissimo latiore, elytris subsulcatis apice subbidentatis; obscure ænea, fronte thoracis lateribus abdominisque margine dorsali testaceis.

Hab. in Brasilia, Dom. Mack-Leay. Mus. Acad. Holm.

Longit. 9 lin., latitud. 2 lin.

Forma *B. planæ* l. *junceæ;* elytra ut in illis (et *B. biguttata*) angustata, ut abdominis margo dorsalis nudus appareat; illis vero multo major. — Color corporis nigro-æneus, ad viridem vergens. *Antennæ* tenues obscure æneæ. *Caput* nigro-æneum, fronte tota orbiculariter impressa, tomento luteo tecta, margine distincto. *Thorax* transversus, lobo scutellari producto, late truncato, subtilissime punctatus, impressione dorsali lata, profunda: rugosula; margo lateralis crassus, arcuatus, et intra marginem sulcus latus, pulvere luteo impletus. *Scutellum* distinctum, planum, basi transversum, rotundatum, apice prominente, acuto, carinulis nullis. *Elytra* ad basin thoracem æquantia, sed illo plus quadruplo longiora, et mox pone humeros valde angustata, lateribus integra, apice emarginata, angulo interiore mutico, exteriore dente armato, dorso depressa, costa in singulo unica, convexa. *Abdomen* elytris latius, margine dorsali testaceo, e pube brevissima, appressa. *Corpus* subtus valde convexum, concolor, magis nitidum, subtilissime punctulatum. *Pedes* breves, nigro-ænei, tibiis posticis extus obsoletissime obtuse dentatis, nigroque ciliatis. *Alæ* obscuræ.

37. Melasis tuberculosa.

M. nigra, nitida, parcius pallide pubescens; thorace valde inæquali calloso; elytris rufopiceis nigro tuberculatis, apice acumiuatis; antennarum basi pedibusque compressis, ferrugineis.

Hab. in Brasilia, Mus. R. Ac. Scient. Holm.

Longit. 6 lin. latitud. 2 lin. — *Corpus* cylindricum, supra valde inæquale, sed nitidissimum. — Melasis genuina videtur secundum totum habitum, et thoracis antennarumque formam; tarsi tamen aliter quam in *Mel. flabellicorni* constructi videntur.

Antennæ longitudine capitis, rachi ferruginea, flabello nigro: articulus primus magnus, subtetragonus, arcuatus, ferrugineus, extrorsum vix crassior; 2 et 3 mediocres, obconici, ferruginei, reliqui (4 — 11) minuti, nodiformes, latere interiore emittentes lamellas nigras, lineares, longitudine dimidii capitis, unam e singulo articulo. *Caput* nigrum, punctulatum, pilis brevissimis pallidis parcius adspersum, fronte inæquali, retusa, ore concolore; vertex canalicula longitudinali sat profunda impressus. *Thorax* teres, dorso valde convexus, subpulvinatus, lateribus deflexis; antice truncatus, angulis rotundatis, non prominulis, basi sinuatus angulis posticis productis, acuminatis, elytrorum humeros amplectentibus; undique niger, nitidus, punctatus, tuberculis lævioribus foveolisque pubescentibus valde inæqualis. *Scutellum* oblongum, pallide pilosum. *Elytra* thoracis basi fere angustiora, humeris intra thoracis angulos rotundatis; circa scutellum depressa, postice valde acuminata, dorso convexa, rufo-picea, nitida, substriata valdeque inæqualia, tuberculis longitudinalibus nigris; apex declivis pallidior. *Corpus* subtus nigro-piceum, conferte punctulatum, tenuissime pubescens; segmentum anale (5:m) triangulare, valde acuminatum, in spinam productum. *Pedes* brevissimi, valde compressi, ferruginei; tibiæ nonnihil dilatatæ, latere anteriore canaliculatæ; tarsi quoque compressi, sed subtus soleis lamelliformibus, dilatatis, instructi.

38. Notoxus helvolus.

N. subtus niger, pallide hirtus, ore, antennis, ano tarsisque rufo-testaceis; elytris parum punctatis, testaceis, margine fasciisque duabus interruptis nigris.

Hab. in Brasilia, Mus. Reg. Ac. Scient.

Facies fere *N. mollis*, sed magis elongatus, et multo major; longitud. 6 lin. Paris. latitud. $1\frac{1}{3}$ lin. — Palpi omnes apice incrassati, truncati, ut in *N. molli*, nec antici angustiores ut in *N. chinensi.*

Antennæ dimidio corpore breviores, obtuse serratæ, rufo-testaceæ, nec apice crassiores: articulus primus major, obconicus, 2:s brevissimus, 3:s mediocris obconicus, 4 — 10 breves, æquales, subcordati, apicalis subovatus.

Caput nigro-fuscum oculis maximis, prominulis, in fronte valde approximatis. *Os* rufopiceum, palpis ferrugineis. *Thorax* cylindricus, capite cum oculis angustior, antice posticeque truncatus; subtus niger, dorso rufo-testaceus, nitidus, pallide pilosus, in medio lineola longitudinali abbreviata impressus. *Scutellum* parvum semiovatum, testaceum. *Elytra* thorace fere dimidio latiora, latitudine plus triplo longiora, linearia, apice rotundata, dorso subglabra, rufo-testacea, nitida, pallide pilosa, punctis paucis vagis impressa; margo lateralis a basi ultra medium elytri niger, fascias duas emittens obsoletas et interruptas; priorem in medio elytrorum, alteram obliquam versus apicem, ubi nigredo marginis desinit, relicto ipso apice omnino immaculato. — *Corpus* subtus nigrum, nitidum, pallide pubescens, segmentorum marginibus anoque pallide ferrugineis. *Pedes* mediocres, pallide hirsuti, femoribus clavatis, nigris, tibiis nigris apice rufo-testaceis, tarsis totis rufo-testaceis. *Abdomen* a tergo pallide testaceum. *Alæ* albidæ.

39. Tel-

39. Telephorus (Tylocerus) crassicornis.

T. fuscus, capite thoraceque flavo-testaceis; antennis clavatis fuscis, articulo basali magno, incrassato, luteo.

Hab. in Jamaica, Dom. Forsström. Mus. D. Paykull.

Longit. lin. 5. — Species habitu fere Telephori *fusci*, (Cantharis fuscæ Fabr.) sed ab hoc genere manifeste differt antennarum forma singulari, quare in Museo proprium constituimus Subgenus, Tylocerus dictum *).

Antennæ longitudine fere corporis, crassiusculæ; articulus basalis magnus, ovalis, luteus; insequentes obconici, adcrescentes; ultimus magnus, sublinearis, longitudine primi, apice conoïdeus. *Caput* depressum, luteum, immaculatum, palpis fuscis. *Oculi* parvi, nigri, orbiculati, prominuli. *Thorax* capite brevior, transversus, subquadrangulus, margine omni valde reflexo, angulis anticis rotundatis, posticis rectis, subprominulis; supra bicallosus, lævis, luteus, immaculatus. *Scutellum* semiovatum, testaceum. *Elytra* thorace vix latiora, linearia, apice rotundata, depressa, lævia, fusca, margine laterali albo, dorso costa obsoleta. *Corpus* subtus fuscum, alis concoloribus. *Pedes* graciles, forma ut in reliquis hujus generis, fusci, anteriores basi lutescentes.

40. Zonitis æneipennis.

Z. thorace rotundato; rufo-testacea pedibus concoloribus, antennis tarsisque nigrofuscis; elytris virescentibus fuscopilosis.

Hab. in Japonia. Mus. Dom. de Paykull.

Habitu *Z. viridipennis*, sed paullo major. — De genere nullum dubium, convenit omnium partium forma. — *Antennæ* filiformes, graciles, longitudine dimidii corporis, nigræ, articulo tantummodo basali flavotestaceo paulloque crassiore, reliquis æqualibus oblongis. *Caput* thorace fere latius, deflexum, rufo-testaceum, subtiliter punctatum, ore producto concolore; mandibulæ nigræ; palpi basi testacei, apice fusci; laciniæ labii longitudine dimidii capitis, fusco-testaceæ. *Oculi* mediocres, ovati, nigri. *Thorax* antice lateribusque rotundatus, suborbiculatus, basi tamen truncata, supra convexus, lævis, rufo-testaceus, nitidus, vix punctulatus, lineola dorsali impressa, brevi, longitudinali, lateribus deflexis, subtus utrinque foveola impressis. *Scutellum* triangulare, rufo-testaceum. *Elytra* posterius parum angustiora, apice singulatim rotundata, mollia, viridi-ænea, nitidula, pube depressa fusca sat dense vestita, superficie oculo armato scabra, vel transversim rugulosa, multo subtilius quam in *Z. viridipenni*. *Corpus* subtus totum rufo-testaceum, læve, pectore parum infuscato. *Pedes* forma in hoc genere ordinaria, tibiis paullo compressis, rufo-testaceis; tarsis nigro-fuscis. *Alæ* fuscescentes, nervis obscurioribus.

41. Mordella heros.

M. aculeata, atro-holosericea, elytrorum punctis tribus lunulaque luteis, abdomine punctis albidis.

Hab. — — Mus. Dom. de Paykull.

---

*) Τύλος callus, item clavus; κερας cornu.

Magnitudine in hoc genere eximia, *Ripiphoro paradoxo* haud cedens; sed ob palporum articulum apicalem incrassatum, aculeum ani elongatum, totumque habitum, non illius sed hujus generis.

Longitudo a capite ad elytrorum apicem 4 lin., aculei 1½ lin.; latitudo thoracis 1½ lin. Parisiens.

Antennæ thoracis basin haud attingentes, compressæ, nigræ; articulis 1 — 3 obconicis, rufopiceis, nitidis, 4:o crassiore atro, 5 — 10 multo majoribus, æqualibus, compressis, apice interiore valde productis, unde antennæ profunde serratæ; articulus apicalis obtusatus. *Caput* valde deflexum, basi sinuata latitudine fere æquans thoracis apicem, antice angustatum, convexum, nigrum, basi apiceque pube pallide-flavescente vestitum, lineaque longitudinali impressum. *Os* nigrum, palpis concoloribus, articulo ultimo magno, crasso, oblique truncato. *Oculi* subovati, immersi. *Thorax* transversus, basi apiceque bisinuatus, lobo medio prominente rotundato, lateribus immarginatus, supra convexus, æqualis, ater, pube depressa, disci nigra, marginis vero anterioris et angulorum posticorum fulvo-micante. *Scutellum* parvum triangulare, nigrum, fulvo ciliatum. *Elytra* antice thorace angustiora, sed illo quadruplo longiora, postice attenuata, apice rotundata, dehiscentia, abdomine vix breviora, dorso parum convexa, atra, in singulo versus basin puncta tria lutea, arcuatim disposita, et pone medium lunula ejusdem coloris, apicem spectans. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, pube certis locis pallide micante. *Abdomen* conicum, nigrum; segmenta ad basin et in margine laterali maculis albo-nitentibus notata; aculeus analis validus, dorso subcarinatus, longitudine elytrorum dimidia. *Alæ* fuscæ. *Pedes* nigri immaculati, tarsis forma ut in congeneribus.

42. Phaleria furcifera.

Ph. linearis, elongata, nigra, nitida, thorace antice profunde excavato, bicorni; capitis cornu erecto, apice dilatato, bifido; elytris punctato-striatis. — Tab IV.

(Act. Holm. 1821. 2. p. 381.)

Hab. in Brasilia ad Rio Janeiro, Dom. Froelich, Mus. Holmiense.

Longit. lin. 7; latit. lin. 2½.

Insectum singulare, facie fere Passali. — Antennarum et corporis forma cum Phaleria convenire videtur, nec quidem Diaperidibus quibusdam cornutis valde dissimile; forsan proprii generis *).

Corpus lineare, apicibus rotundatis, convexum, attamen haud cylindricum, totum nigrum, nitidum, immaculatum, antennarum basi, palpis et tarsorum apicibus rufopiceis. — *Antennæ* thoracis basin non attingunt, angulo orali sub capitis margine elevato insertæ,

---

*) Obs. Diaperidis genus, animalcula sat discrepantia amplectens, accuratius examinandum. Diaperides genuinæ, ex. gr. D. Boleti et Hydni, conveniunt: antennarum articulis 4 — 10 brevioribus, latioribus et transversis, corpore convexiore, ovali vel suborbiculari, capite deflexo, thoracis lobo scutellari magis producto. — D. hæmorhoidalis et viridipennis ab his differunt corpore magis elongato, antennarum articulis minus dilatatis, 4 et 5 minoribus, et capite haud deflexo, in maribus bicornuto. — A speciebus supra recensitis, — quæ conveniunt tarsorum articulis interioribus (3 l. 4) brevissimis, apicali vero majore, illis simul sumtis longiore, — manifeste differt D. ænea (*D. ænea et bicolor* Fabr.) tarsorum posticorum articulo basali elongato, sequentibus multo longiore, atque antennis extrorsum sensim crassioribus, articulis 3 — 6 haud transversis.

moniliformes, extrorsum paullo crassiores, aliquantum compressæ; articulus primus insequentibus parum crassior, brevis, obovatus; articuli 2, 3, 4 brevissimi, subglobosi, 5 — 9 sensim adcrescentes, breves, subhemisphærici et subperfoliati, angulis haud prominulis; articulus ultimus orbicularis, compressus *).

Caput exsertum, suborbiculare, superficie lævi, impunctata, margine orali reflexo, sinuoso, in medio frontis ante oculos cornu erectum; basi teres, apice compressum, dilatatum, emarginatum, lobis divergentibus, obtusis. *Thorax* æque longus ac latus, basi truncatus, angulis acutiusculis, lateribus medio deflexis, marginatis, antice parum angustior, medio profunde depressus vel excavatus, angulis anterioribus convexis, in cornua porrecta intus sinuata productis; superficies glabra, nitida, subtilissime punctulata; foveolæ laterales nullæ, sed impressio magna anterior, basin haud attingens. *Scutellum* parvum. *Elytra* æque lata ac thorax, latitudine vero duplo longiora, basi truncata, angulis humeralibus rectis, apice rotundata, convexa; in singulo striæ 9 continuæ et regulares, profunde atque distincte punctatæ; stria lateralis reliquis profundior et lævior; præterea prope suturæ basin lineolæ abbreviatæ rudimentum, interstitia convexa, impunctata. *Corpus* subtus glabrum, nitidum, impunctatum, sterno pectoreque muticis. *Abdominis* segmenta 1 et 2 majora, 3 et 4 brevissima, 5 vel ultimum majus, rotundatum, integrum. *Pedes* mediocres, simplices, aliquantum compressi, glaberrimi, impunctati; femora valida, subtus versus apicem subcanaliculata; tibiæ compressæ, extrorsum latiores, non nisi dentibus apicalibus armatæ; Tarsi articulis (5, 5, 4,) teretibus, interioribus brevissimis, subtus pilosis sed haud soleatis, apicali vero reliquis simul sumtis fere longiore, valido, curvato, biunguiculato. *Alæ* pallidæ.

Fig. 1. Phaleria furcifera, magn. auct.; — 2, ejusdem magn. nat.; — 3, cornu capitis a tergo; — 4, idem a latere; — 5, antenna magn. aucta.

43. Phaleria tricornis.

Ph. ovalis, nigra, nitida, antennis pedibusque piceis; thorace marginato, sparsim punctato, antice emarginato; capite maris cornibus tribus æqualibus, linearibus.

Hab. in Jamaica, Dom. Westfelt. Mus. D. Schoenherr.

Affinis videtur *Phal. furcifera.*

Longit. insecti 4 lin. Paris.; capitis cum thorace $1\frac{1}{4}$ lin.; elytrorum $2\frac{3}{4}$ lin.; Latitudo thoracis ad basin $1\frac{1}{2}$ lin. *Antennæ* longitudine thoracis, ferrugineo-piceæ, moniliformes, extrorsum paullo crassiores, glabræ; articulus tertius reliquis aliquantum longior; exteriores transversi, subcompressi, ultimus orbicularis. *Palpi* ferruginei, articulo apicali triangulari, truncato. — *Caput* parce punctatum, cornibus tribus porrectis, linearibus, teretibus, capite manifeste longioribus; lateralibus pone oculos, intermedio supra marginem oralem insertis.

---

*) Instrumenta cibaria in specimine unico rite examinare haud licuit; observata tamen sistam.

Labrum transversum, obtusum, apice flavo-ciliatum.

Mandibulæ brevissimæ, validæ, — (in nostro haud separandæ).

Palpi inæquales, glabri; *labiales* breves, filiformes, articulo apicali ovali; *maxillares* illis duplo longiores, 4-articulati, articulis brevibus; basalis brevissimus, tertius vix minor secundo, apicalis major, truncatus.

Labium cordatum, apice emarginatum, nudum.

Thorax transversus, subquadrangulus, basi sinuatus, apice sinuato-emarginatus, angulis prominulis, lateribus distincte marginatus, supra convexus, parce punctatus, haud foveolatus. *Scutellum* parvum, rotundatum. *Elytra* thorace vix latiora, humeris rectangulis; apice rotundata, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, non nisi subtilissime punctulatis. *Corpus* subtus nigrum, nitidum. *Pedes* rufopicei, nitidi, subtilissime punctulati, anteriores articulis tarsorum æqualibus, postici articulo basali reliquis longiore.

Femina mari simillima, modo capite mutico, fortius punctato, et supra os tantum callo planiusculo prædito.

Obs. Trogosita *Taurus* FABR. congenerica et affinis.

44. TENEBRIO aries.

T. ater, thorace crenato, elytris striatis; capitis cornibus divaricatis, subrectis.

Hab. in Brasilia, Dom. FREYREIS, Mus. Dom. SCHOENHERR.

Longit. pollicis unius cum linea. — Magnitudo et habitus Ten. cornuti FABR. (OLIV. Tab. 1, fig. 2; e Smyrna,) mihi invisi, — sed cornua capitis in nostra specie haud refracta, nec thoracis anguli adeo prominentes, nec tibiarum forma insoleta, quare distinctam puto, præsertim cum patria etiam aliena. — *Antennæ* moniliformes, apice paullo crassiores, elytrorum basin attingentes. *Caput* parvum subcoriaceum, antice cornibus duobus divergentibus, subrectis, capitis longitudine; ante oculos dente valido armatum. *Oculi* transversi, oblongi, emarginati. *Thorax* quam longus multo latior, basi subsinuatus, apice emarginatus, lateribus rotundatus, submarginatus, margine crenato, angulis prominulis; supra transversim convexus, scabriusculus, canalicula dorsali, antice evanescente. *Scutellum* semicirculare, nitidum, punctatum. *Elytra* thorace paullo latiora, sed quam lata plus duplo longiora, apice paullo angustata, supra convexa, tenuiter punctato-striata, striis in singulo novem, præter rudimentum decimæ juxta scutellum. *Corpus* subtus nigrum, magis nitidum, subtilissime punctatum, medio convexum. *Pedes* corpori concolores, læves, forma ordinaria simplici, tibiis anticis apice incrassatis, introrsum fulvo-tomentosis, tarsorum spongiis ferrugineis.

45. AMARYGMUS? Paykullii. *)

A. subhemisphæricus, subtus cum antennis pedibusque niger; elytris punctato-striatis, fasciis transversis undatis iridi-coloribus splendidis.

Hab. — — Mus. Dom. de PAYKULL.

---

*) AMARYGMUS nobis dicitur novum Genus, cujus adumbrationem huc sistamus:

Antennæ thorace manifeste longiores, tenues, extrorsum paullo crassiores, articulis exterioribus breviter obconicis. *Palporum* articulus apicalis triangularis, dilatatus, subsecuriformis. *Oculi* magni, emarginati, in fronte valde approximati. *Tarsi* omnes compressi, tenuiter soleati, anteriores evidenter 5-articulati, postici 4-articulati, *articulo primo longissimo, longitudine reliquorum simul sumtorum.*

Corpus oblongum, valde convexum; *caput* ovale, deflexum, subinflexum, *thorax*

Vix hujus generis, corpus magis rotundatum ut in Diaperide, a quo genere differt tarsorum posticorum articulo basali elongato, antennis basi tenuioribus, articulis 2 — 6 parvis, reliquis sensim sed manifeste majoribus. Color vero splendidus, irideus, omnino Amarygmi. Longitudo 3 lin., latitudo $2\frac{1}{2}$ lin. *Antennæ* thorace paullo longiores, sub capitis margine dilatato ante oculos insertæ, nigræ, nitidæ, glabræ, basi teretiusculæ, apice compressæ. Articulus basalis mediocris, obovatus; 2 — 6 parvi, extrorsum gradatim breviores; 7 mediocris, 8, 9, 10 majores, transversi, fere semicirculares, angulis haud productis; ultimus ejusdem latitudinis, breviter-ovatus. *Palpi* nigri, breves, filiformes, articulo ultimo latiore, triangulari, subsecuriformi.

Caput parvum, clypeo (haud distincto) lato, truncato, æquali; confertissime punctatum, obscure viride, purpureo micans. *Oculi* nigri, oblongi, in vertice sat approximati, medio angustati. *Thorax* brevis, transversus, antice late et profunde emarginatus, lateribus parum rotundatus, tenuiter marginatus, postice in medio productus, supra convexus, punctatissimus, iridicolor, nitidus, videlicet in medio subauratus, ad latera purpurascens, macula viridi indeterminata. *Scutellum* parvum, triangulare, æneum, vix punctulatum. *Elytra* thorace latiora, et illo quadruplo longiora, apice sub-acuminata, supra valde convexa, striis distincte punctatis in singulo elytro 8, præter suturam et marginem, interstitiis subtilissime punctulatis; striolæ abbreviatæ prope scutellum vestigium nullum. *Elytra* tota fasciis 5 undatis coloribus iridis pulcherrime variegata; insequuntur colores fasciarum ab elytrorum basi apicem versus ordine quo in arcu cœlesti; ruber, flavus, viridis et s. p.; fascia media maculis cyaneis interrupta. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, vix vel obsolete tantum æneo nitens. Abdominis segmenta 3 et 4 angustiora, 5 vel apicale rotundatum, integrum. *Pedes* mediocres, validi, compressi, nigri, nitidi. Tarsi (5, 5, 4,) subtus pilosi, soleis vero nullis distinctis; anteriorum articuli 4 basales brevissimi, quintus eorum fere longitudine; posticorum articulus basalis insequentibus duobus simul sumtis fere longior, apicalis validus, basali adhuc longior. *Alæ* pallidæ.

---

subtus brevissimus; elytra in nostris punctato-striata. — Corpus glabrum, supra colore metallico.

Huc pertinent sequentes species:

1. Amarygmus *amethystinus:* subtus niger, supra violaceo-purpureus, elytris punctulatis et striato-punctatis.
   Helops amethystinus Oliv. Tab. I, fig. 9.
   Cnodalon amethystinum Fabr. Schoenh. Syn. Ins. II, pag. 330. 6.
   Hab. in Nov. Hollandia D. Hooker. Mus. D. Schoenherr.

2. Amarygmus *speciosus:* niger nitidus, thorace viridi rubroque variegato; elytris punctato-striatis, lineisque rubris et viridibus alternantibus. — Longit. lin. $3\frac{1}{2}$.
   Cnodalon speciosum Megerle. Mus. D. Schoenherr. — Patria ignota.

3. Amarygmus *micans:* subtus niger, supra viridi-cœruleus, splendidus, thoracis postico et elytrorum plaga subhumerali rubro-purpureis; elytris tenuiter striatis, striis subtiliter punctulatis.
   Chrysomela micans Fabr. Syst. Eleut. I, pag. 428. 30.
   Helops Diaperis Schoenh. Syn. Ins. II, pag. 241. sub N:o 35.
   Hab. in India orientali, D. Gröndal. Mus. D. Schoenherr.

4. Amarygmus? *Paykullii.*

---

46. Cnodalon irroratum.

C. nigrum, nitidum, antennis pedibusque concoloribus, elytris magnis gibbis, leviter punctato-striatis, brunneis nigro-punctatis.

Hab. in Brasilia, Dom. Christofferson, Mus. Dom. Schoenherr.

Longitudo 1 poll., 2 lin. — *Antennæ* nigræ, thorace paullo longiores, articulo primo sat magno, obconico, secundo brevi, tertio elongato sub-cylindrico (l. longius obconico) basi attenuato; 4, 5 obconici, 6, 7, 8, 9, 10, triangulares, intus dentato-dilatati, apicalis subovalis, obtusiusculus, præcedentibus longior. *Palpi* articulo apicali subsecuriformi.

Caput parvum punctulatum. *Oculi* magni, subtransversi, antice emarginati. *Thorax* transversus, elytris multo angustior, subquadrangularis, angulis anticis rotundatis, posticis acutis, lobo scutellari rotundato; lateribus subrectis, muticis, tenue marginatis; supra in medio convexus, punctulatus. *Scutellum* mediocre, nigrum, semiorbiculare, punctulatum. *Elytra* maxima, thorace multo latiora, et latitudine duplo longiora, humeris obtusangulis, apice attenuata, subacuminata, supra convexa, medio gibba, apice declivia, tota brunnea, nitida, undique punctis nigris irregulariter sed sat conferte adspersa; in singulo striæ 9 tenues, integræ, subtiliter punctulatæ, et præterea juxta suturæ basin utrinque lineola abbreviata. *Tarsi* (5. 5. 4.) omnes compressi, et omnes subtus soleati; articuli interiores brevissimi, ultimus magnus, longitudine præcedentium simul sumtorum, biunguiculatus.

Obs. Facies Erotyli, sed manifeste differt genere, si ad antennas, tarsos, et oris partes, attendas.

47. Prionus ornatus.

Pr. thorace crenulato unidentato; nigro-virescens, elytris coriaceis, opacis, fascia e maculis 4 rubris, media.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich. Mus. Ac. Sc. Holm.

Longit. pollicis cum linea; latitud. vix 6 lin. — E Familia *Pr. nitidi, bilineati,* etc., thorace tamen quam in illis minore, præsertim angustiore. — *Corpus* totum nigro-virescens, antennis pedibusque concoloribus; capite thorace corporeque subtus aliquantum nitidis, elytris omnino opacis. — *Antennæ* corporis medium minime attingentes, extrorsum crassiores, leviter serratæ; articulus primus brevis et crassus, ovato-obconicus; secundus brevissimus, tertius cylindricus, his duplo longior, insequentes breviter obconici, apicales breviores, ultimus rotundatus. *Caput* parvum parce punctatum, fronte clypeoque impressis. *Mandibulæ* breves, subtridentatæ; *palpi* nigro-picei. *Oculi* oblongi, emarginati. *Thorax* transversus, basi apiceque sinuato-truncatus, lateribus antice rotundatus, obsolete crenatus, denteque parvo armatus, postice utrinque oblique truncatus, angulis prominulis, deflexis, supra convexus, æqualis, in dorso parcius ad latera conferte punctatus. *Scutellum* magnum, linguæforme, punctatum, lineolaque longitudinali. *Elytra* jam ad basin latiora thorace, pone medium dilatata, apice rotundata, mutica, tenuiter marginata, dorso antico convexa, versus apicem depressa, tota coriacea, e rugulis gyrosis, confertissimis, costis vel lineis elevatis nullis; nigro-viridia; versus medium, ubi color in cyaneum vergit, ornata maculis 4 rubris, transversim positis, interioribus majoribus, subreniformibus, exterioribus triangularibus. — *Corpus* subtus subtilius punctulatum, abdomine obscuriore, segmento anali in nostro specimine (masculo) truncato. *Pedes* simplices, compressi, mutici, magis nitidi, parce punctulati.

48. Prionus subsulcatus.

Pr. elongatus, niger, nitidus, thorace transverso, margine recto crenato-dentato, elytris muticis subsulcatis; mandibulis incrassatis.

Hab. ad Honduras Amer. septentr. Dom. Westfelt. Mus. D. Schoenherr.

Magnitudo et forma fere *Pr. dentati* Fabr., sed omnino diversus. — *Antennæ* longitudine dimidii corporis, simplices, filiformes; articulus primus crassus obconicus, punctatus, 2:s brevissimus, nodiformis, reliqui subclavati, sensim decrescentes, apicalis linearis, compressus. *Caput* transversum, thorace paullo angustius, convexum, conferte punctatum, linea frontali longitudinali impressum. *Oculi* transversi, oblongi, angustati, integri. *Mandibulæ* longitudine capitis, triangulares, crassissimæ, basi tuberculo obtuso elevato armatæ, apice arcuatæ, bidentatæ, nitidæ, punctulatæ, intus rufo-pilosæ. *Palpi* nigro-picei, rufo-pubescentes. *Thorax* transversus, subquadrangularis, apice truncatus, basi sinuato-rotundatus, lateribus rectis, spinulis inæqualibus 7 — 9, angulis anticis prominulis, posticis emarginatis; supra depressus, disco lævi nitido, ad latera punctato-rugosus. *Scutellum* breve, rotundatum, nigrum, nitidum. *Elytra* thorace manifeste latiora, latitudine duplo longiora, sublinearia, apice rotundata, angulo suturali vix nisi spinula minutissima armato; supra convexa, sulcis in singulo 2 l. 3 latis sed parum profundis impressa; nigro-spadicea, lævia, nitida, non nisi sub oculo acute armato subtiliter punctulata. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, pectore fusco holosericeo, certo situ luteo micante. *Pedes* breves simplices, compressi, corpore concolores, femoribus non incrassatis.

49. Trachyderes zonatus.

Tr. niger nitidus, thorace inæquali, spinoso, in mare antice punctato; elytris fascia latiore testacea, apice subdentatis.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Magnitudo et facies *Tr. succincti* omnino, sed vere diversus. Differt præsertim thorace utrinque spina valida armato, in mare antice punctato, elytris apice exteriore dentatis, fasciaque multo latiore quam in *T. succincto*. *Antennæ* quoque tenuiores, minus compressæ, et elytra versus apicem magis quam in illo angustata. Colores ceterum ut in *Tr. succincto*. — Differentiæ reliquæ e comparatione facilius percipiendæ.

Trachyderes succinctus.	Trachyderes zonatus.
Thorax inæqualis, nitidus, utrinque tuberculis duobus munitus;	*Thorax* inæqualis nitidus, forma fer ut in *succincto*, sed tuberculi posterioris loco spina valida armatus;
— — in utroque sexu lævis, impunctatus.	— — in mare antice lateribus conferte punctatus, in femina lævis.
Antennæ utriusque sexus latiores, articulis, 7, 8, 9 totis nigris, reliquis anulo luteo; (apicalibus 2 aut nigris aut luteis).	*Antennæ* utriusque sexus tenuiores, (maris teretiusculæ), articulis omnibus basi luteis apice nigris; (apicalibus 2 totis luteis).
Elytra rufopicea, fascia æquali testacea, angustiore;	*Elytra* pernigra, in medio fascia lata testacea, subsinuata, tertiam fere elytri partem occupante;

Elytra apice pallidiora, in utroque sexu omnino *mutica*.

Pedes breviores;
— *Femora* clavata, angulis inferioribus summi apicis omnino muticis, obtusis;
— *tibiæ* luteæ, apice nigro.

Elytra apice magis angustata, truncata, angulo exteriore armato dente in femina sat acuto, in mare obsoletiore.

Pedes manifeste longiores:
— *Femora* incrassata, summi apicis angulis inferioribus prominulis subdentatis;
— *tibiæ* luteæ, immaculatæ, apice concolore.

Descriptio: *Antennæ feminæ* corporis longitudine, compressæ, 11-articulatæ, articulis basalibus nigris, primo antice rufescente; articuli 3 — 7 basi luteæ, apice nigri; 8 — 11 flavo-testacei. — Antennæ *maris* corpore fere duplo longiores, tenuiores quam in femina, teretiusculæ, vel saltem perparum compressæ; articulis 1 & 2 nigris, 3 — 10 luteis apice nigris, 11 & 12 totis luteo-testaceis.

Caput inæquale, nigrum, nitidum; frons rufescens, punctata; inter antennas carinula longitudinalis sulculo exarata; os nigrum, palpis rufo-piceis. *Oculi* obscuri, ad antennarum insertionem profunde excisi, nec tamen divisi. — *Thorax* valde inæqualis, nitidus, in mare lateribus antice evidenter punctatus, in femina omnino impunctatus, rufo-brunneus, maculis dorsalibus nigris; lateribus utrinque tuberculo obtuso spinaque valida armatus. — *Scutellum* magnum, elongatum, triangulare, apice acuminato; nigrum, læve, nitidum. — *Elytra* antice thorace multo latiora, humeris prominulis, posterius angustata, lateribus tenuiter marginata, dorso subdepressa, tota lævia, polita; saturate nigra, in medio ornata fascia lata flavo-testacea, quæ antice ad scutelli apicem adscendit, postice vero nonnihil emarginatur; margo lateralis quoque testaceus; elytrorum apex niger, truncatus, angulo interiore rotundato, exteriore dente armato. — *Corpus* subtus nigrum nitidum, sterno pectoreque ut in congeneribus, pectoris medio anoque rufescentibus. — *Pedes* mediocres, simplices, femoribus (anterioribus modice incrassatis) basi luteis apice nigris; tibiis tarsisque luteo-testaceis, immaculatis.

50. Trachyderes scabricollis.

Tr. brunneus, antennis pedibusque ferrugineis, nigro-annulatis; thorace subtiliter scabro, opaco, nigro punctato; elytris muticis, nigris, margine lineisque duabus rufis.

Hab. — — Mus. Dom. Paykull.

Longit. lin. 9. — Habitu Tr. striati; a congeneribus optime distinctus thorace opaco, scabriusculo. Specimen nostrum masculum. *Antennæ* corpore vix dimidia parte longiores, articulo basali et apicalibus totis nigris, intermediis luteo-ferrugineis apice nigris. *Caput* ferrugineum, macula verticis nigra. *Thorax* quam latus longior, utrinque tuberculis duobus; supra paullo convexus, superficie scabriuscula, opaca; non ita inæqualis quam in congeneribus, sed tantum costa media transversali, et impressione discoidali triangulari; brunneus vel obscure ferrugineus, punctis 11 nigris, quorum 5 discoidalia, et utrinque unum versus latera, atque duo lateralia, majora, tuberculos ambientia. *Scutellum* triangulare, acuminatum, ferrugineum, impunctatum. *Elytra* apice truncata, mutica, nigra, nitida; in singulo lineæ tres rufæ, apicem haud attingentes, quarum extima in ipso margine; præterea prope scutellum lineolæ abbreviatæ rudimentum. *Corpus* subtus nigro-brunneum, pectore sternique spina ferrugineis. *Pedes* subcompressi, mutici, ferruginei, femoribus ante apicem nigro-maculatis, tibiis apice obscurioribus, tarsis ferrugineis.

51. Tra-

51. TRACHYDERES basalis.

Tr. niger, capite cum antennis thorace elytrorumque basi ferrugineis; femoribus elytrisque apice spinosis.

Tr. basalis DEJEAN. Mus. D. SCHOENHERR.

Hab. in Brasilia, Dom. WESTIN. Mus. R. Ac. Sc. Holm.

Nimis affinis videtur *Tr. bicolori* FABR. OLIV., sed pro diverso habetur a D. DEJEAN, et D. SCHOENHERR, qui *Tr. bicolorem* FABR. verum vidit Hafniæ. *Elytra* in illo ad dimidium, in nostro tantum ad basin rubra, præterea apice spina distincta armata, cujus vero nec FABRICIUS nec OLIVIER faciunt mentionem, nec rudimentum quidem in figuris OLIVIERI et VOETII detegendum, quare verisimiliter differunt ambæ species modo quo *Tr. striatus* et *lineatus*, atque alii hujus generis.

Caput rufo-brunneum, immaculatum, inter antennas sulcatum. *Oculi* ferruginei. *Antennæ* ultra medium ferrugineæ, ante apicem testaceæ, apice fuscæ, lineares, vix vel parum compressæ. — *Thorax* rufo-ferrugineus, immaculatus, parce et subtilissime punctulatus, inæqualis, sed præter spinæ lateralis rudimentum nullis tuberculis distinctis notatus, antice sinuato-impressus, ut in plerisque hujus generis. *Scutellum* triangulare, acuminatum, ferrugineum, apice nigrum. *Elytra* ad basin thorace latiora, illoque plus duplo longiora, apice truncata, angulo exteriore dente distincto armata, subtilissime punctulata, nigra, nitida, non nisi prima basi, ad scutelli dimidium usque, rufo-ferruginea. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, capite sternoque rufis, punctatis. *Pedes* antici rufo-ferruginei, geniculis nigris; posteriores nigri, femoribus modice clavatis, basi rufis, apice spina distincta armatis.

Mas antennis corpore multo longioribus, 12-articulatis; *femina* 11-articulatis, corpus parum excedentibus, abdomineque quam in mare longiore.

Obs. Humeri supra foveola rotundata impressi, ut in *Tr. bicolore* quoque observant auctores, sed hæc foveola in omnibus speciebus *Trachyderis* generis adest, ideoque ad species distinguendas minime valet.

52. LISSONOTUS spadiceus.

L. niger, nitidus, antennis pedibusque concoloribus; elytris apice rotundatis muticis, plaga dorsali rufescente.

Hab. in Brasilia D. D. WESTIN et FROELICH, Mus. Holm.

Magnitudo et facies *L. biguttati*, sed vere distinctus. Præter colorem differt capite impresso, elytris muticis, oculo quoque acute armato vix punctulatis.

Corpus totum nigrum, nitidum, præter plagam elytrorum magnam, dorsalem, obscure rufescentem. — *Antennæ* nigræ, maris corpore aliquantum longiores; *feminæ* illo breviores, latiusculæ, compressæ, lineares, subserratæ, articulis præter secundum parvum subæqualibus; 1 — 5 nitidis, reliquis opacis, ultimo in masculo graciliore, acuminato, curvato, in femina brevi, obtuso.

Caput breve, parce punctulatum, inter antennas impressum. *Thorax* rotundatus, basi truncatus, forma omnino ut in L. biguttato, lævis, vix visibiliter punctulatus. *Scutellum* magnum, triangulare, acutum. *Elytra* thorace vix latiora, sed illo duplo longiora,

apice singulatim rotundata, mutica, supra parum convexa, lævissima. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, sterno antico subtilissime transversim striato. *Pedes* nigri, lævissimi, femoribus clavatis. *Alæ* nigricantes.

Femina masculo fere dimidio minor, antennis multo brevioribus, obtusioribus, segmento anali magis producto.

53. Agallissus melaniodes. *)

A. niger, nitidus, antennis brevibus pedibusque concoloribus; thorace mutico lævi; elytris nigro-violaceis, fascia subapicali rubra: basi depressis, humeris prominulis.

Hab. in Mexico, Dom. Westfelt. Mus. Dom. Schoenherr.

Species elegans, nullo generi hucusque stabilito satis quadrans. Ab omnibus reliquis Cerambycinis manifeste differt *elytris post humeros evidenter emarginatis*, itaque in hac familia fere idem quod Cetonia et Gymnopleurus inter Scarabaeïdes. — Habitu, ob thoracem angustum, ad Saperdam, ne dicam Sagram, accedere videtur; capite vero potius ad Cerambyces vel Callidia. Coloribus et superficie polita Lissonoto non absimilis, a quo genere tamen omnino distat scutelli, thoracis atque pectoris forma.

Magnitudo *Cer. Koehleri*. *Caput* mediocre, thorace paullo angustius, nigrum, nitidum, ore concolore; inter antennas canalicula brevis, sat profunda; vertex temere punctatus *mandibulæ* breves, triangulares, vix dentatæ; *palpi* breves, filiformes, simplices, glabri, nigri, apice truncato piceo. *Oculi* magni rotundati, haud prominuli, ad antennarum insertionem emarginati. *Antennæ* dimidio corpore non longiores, nigræ, articulo primo obconico, secundo brevi, cyathiformi, his nitidis; 3 & 4 elongato-obconicis, reliquis compressis, apice inferiore acuto et prominulo, unde antennæ subserratæ apparent. *Thorax* ad basin elytris dimidio angustior, latitudine paullo longior, lateribus parum rotundatus, muticus, antice posticeque truncatus, convexus, niger, nitidus, temere punctatus pilisque paucis adspersus; ante medium baseos et utrinque ad angulos impressus. *Scutellum* mediocre, transversum, obtusum, pulvinatum, nigrum, pallide pubescens. *Elytra* latitudine plus duplo longiora, humeris valde prominulis, rotundatis, elevatis, lateribus subrectis, apice rotundata, vel subtruncata, angulo suturali subprominulo; supra ante medium valde impressa, posterius convexa, nigra, certo situ violaceo-nitentia, valde nitida; superficie tota punctis minutis et inordinatis impressa, et pilis tenuissimis pallidis, erectis, pubescente: — versus apicem in singulo elytro macula magna transversa rubra, marginem, non vero suturam attingens, quæ ambæ fasciam medio interruptam constituunt. — (Præterea specimen nostrum in uno elytro ornatum puncto medio rubro, quod in altero vero elytro deest). Elytrorum margo sub humero valde excisus. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, punctulatum, pube tenui pallida depressa vestitum, sterno pectoreque convexis, muticis, apice truncatis; abdominis segmenta subæqualia, ultimum in nostro specimine rotundatum. *Pedes* mediocres simplices, corpori concolores, pubescentes; femora ad insertionem sat approximata, paullo clavata, postica elytrorum apicem minime attingentia; tibiæ omnes rectæ, tarsi nigri, soleis subtus griseis. — *Alæ* brunneo-nigricantes.

---

*) Ἄγαν valde, λισσὸς lævis; — μελας niger, ιωδες violaceus.

54. Cerambyx? cardinalis.

C. gracilis, linearis, thorace elongato; corpore sanguineo, supra punctato-rugoso, ore antennis pedibusque clavatis nigris.

Hab. in Brasilia Dom. Froelich. Mus. R. Ac. Scient. Holm.

Long. 6 lin., Lat. vix lineæ Parisiensis. — *Corpus* elongatum, lineare, muticum, subdepressum, thorace eximie longo; vix tamen *Gnoma.* — *Antennæ* corpore manifeste longiores, tenues, simplices, nigræ, 11-articulatæ; articulus primus magnus, crassus, secundus brevissimus, tertius ac quartus compressi, angulo apicis exteriore prominulo; reliqui lineares, teretes, apice incrassato; articulus apicalis præcedentibus triplo brevior, acuminatus. *Caput* parvum, nigrum. *Oculi* obscuri, profunde emarginati. *Thorax* capite vix latior, sed quam latus duplo longior, linearis, subcylindricus, antice posticeque truncatus, muticus, sanguineus, parum nitens, confertissime transversim punctato-rugosus, veluti reticulatus, margine basali nigro. *Scutellum* parvum, subtriangulare, nigrum. *Elytra* thorace parum latiora, et illo vix dimidia parte longiora, linearia, apice obtusa, dorso depressa, tota sanguinea, vix nitida, confertissime et sat rude punctata, punctis distinctis, nec ut in thorace transversis vel confluentibus. *Corpus* subtus sanguineum, magis nitidum, glabrum, subtilius punctatum, gula nigra. Abdominis segmenta (5) æqualia, ultimum truncatum. *Pedes* breviusculi, graciles, nigri, nitidi, femoribus apice distincte clavatis. — Corpus totum supra pube brevi et tenuissima, pallida, suberecta, adspersum.

55. Gnoma nodicollis.

Gn. elongata, teres, obscure rufo-brunnea, nitida, antennis pedibusque nigris; thorace elongato, supra 5 tuberculato; elytris apice unispinosis, nigro-cyaneis, singuli lineola media alba.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin. Mus. Holmiense.

Cum Gnomæ species *Fabricianas* haud viderim, de genere hujus et sequentis speciei dubius sum. — Longit. insecti lin. 6; latit. elytr. lin. 1. *Corpus* valde gracile, nitidum. *Antennæ* tenuissimæ, nigræ, corpore longiores; articulo primo magno, pyriformi, basi arcuato; 2:o brevissimo, obconico, reliquis longissimis, linearibus, summo apice paullo incrassatis, pilis pallidis, sparsis. *Caput* thorace latius, obscure rufum; frons brevis retusa; mandibulæ breves apice nigræ; collum subelongatum, punctulatum. *Antennarum* scrobs ad interiorem marginem dente instructa. *Oculi* magni, prominuli, profunde emarginati. *Thorax* cylindricus, latitudine plus duplo longior, saturate rufus, glaber nitidus, impunctatus sed inæqualis; ante apicem nempe et versus basin leviter constrictus, in dorso tuberculis 5 parvis sed distinctis instructus, anterioribus tribus, quorum intermedius obsoletior, posterioribus binis, ante constrictionem posteriorem. *Scutellum* parvum, semicirculare, ferrugineum. *Elytra* thorace manifeste latiora, illoque duplo longiora, linearia, postice paullo angustata, apice oblique emarginata, spinaque submarginali sat acuta armata; tota nigro-cyanea, nitidissima; mox ante medium lineola brevis, albida, obliqua; striæ in singulo tres pilorum tenuissimorum. *Corpus* subtus obscure ferrugineum. *Pedes* graciles, nigri, nitidi, femoribus anticis magis posterioribus minus clavatis, his elytrorum apicem attingentibus; tibiæ lineares, simplices, anticæ paullo arcuatæ, posteriores rectæ.

56. Gnoma denticollis.

Gn. elongata, teres, rufo-brunnea, antennis pedibusque ferrugineis; thorace elongato, in medio constricto, tuberculis 5 discoidalibus; elytris unispinosis, brunneis, fascia lata sinuata flavida.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin. Mus. Holmiense.

Longit. 10 lin. — Valde affinis Gn. nodicolli; conformatio partium fere eadem, sed hæc species major, robustior; elytrorum pedumque color diversus, et thorax ante medium magis constrictus, tuberculis majoribus et acutioribus instructus. — *Antennæ* pallide ferrugineæ, corpore longiores, pilis tenuissimis parcius adspersæ, articulorum forma et proportione omnino ut in Gn. nodicolli. *Caput* thorace latius, brunneum, nitidum, fronte brevi, retusa, ore obscuro; scrobs antennarum margine interiore spina brevi armatus. *Oculi* magni brunnei, profunde emarginati, sinu albo-sericeo. *Collum* subelongatum, conferte subtiliter punctulatum. *Thorax* quam latus plus duplo longior, basi apiceque truncatus, teres, ante basin parum, ante medium vero manifestius constrictus, rufo-brunneus, lævigatus, nitidus, impunctatus, tuberculis 5 discoidalibus; tribus videlicet anterioribus, quorum laterales majores spiniformes, intermedius minor obsoletior; posterioribus vero binis, remotioribus, minus elevatis. — *Scutellum* rotundatum, pube flavescente obductum. *Elytra* thorace multo latiora, basi truncata, lateribus rectis, apice paullo angustata spinaque apicali acuta armata, rufo-ferruginea, nitidissima; in medio fascia communis pallide flava, inæqualis et valde arcuata, suturam transgrediens, marginem quoque attingens sed intactum relinquens. — In singulo elytro series 3 vel 4 pilorum subtilissimorum erectorum. — *Corpus* subtus obscurius brunneum, nitidum, pube pallida depressa parcius adspersum. *Pedes* omnes rufo-ferruginei, femoribus anterioribus clavatis, posticis longioribus modice incrassatis, elytrorum apicem non attingentibus. *Alæ* albidæ, nervis ferrugineis.

57. Dorcadion politum.

D. dorso subdepresso; atrum, nitidum, lineis longitudinalibus capitis thoracisque tribus, elytri singuli quatuor albis, sutura margineque niveis; pedibus ferrugineis, femoribus apice nigris.

Lam. polita Boeber. — Hab. in Sibiria D. Steven. Mus. D. Schoenherr.

Magnitudo et fere forma D. morionis, sed magis depressum. *Caput* æquale, nigrum, nitidum, glabrum, macula frontali ad orbitas oculorum, lineisque verticis tribus, albis. *Os* nigrum palpis ferrugineis. *Antennæ* corpore breviores, nigræ, nitidæ, immaculatæ. *Thorax* niger, glaber, disco subtilius lateribus fortius punctulatus, linea dorsali, et utrinque laterali albis, lateribus rotundatis; spinula brevi armatus. *Scutellum* cordatum, album. *Elytra* basi rotundato-angustata, thorace longiora, dorso depressa, apice singulatim rotundata, atra, nitida, impunctata, sutura margineque niveis, lineisque in singulo 4 albis longitudinalibus, quarum prima suturam latam niveam sequens, secunda abreviata, tertia ab humero usque ad apicem producta, quarta intra marginem niveum, non nisi colore ab illo distinguenda; hæ lineæ impressæ, interstitiis convexiusculis glabris, impunctatis. *Corpus* subtus nigrum, pube brevissima alba vestitum, ano rufescente. *Pedes* breves validi, ferruginei; tibiæ testaceo pubescentes; femora apice ultra medium nigra, anteriora incrassata, postica linearia, parum compressa. — Signaturæ omnes albæ e pube brevi depressa efficiuntur.

Obs. Hæc species olim sub nomine L. Glycyrhizæ, nobiscum communicata, cui prima facie quidem similis, sed certe diversa. Lam. Glycyrhizæ vera, (Fabr. Oliv. Pallas &c., confr. Schoenh. Syn. Ins. III, p. 397. 201), non est nitida, sed tomento aterrimo vestita. *Antennarum* basis et pedes toti rufo-ferruginei, tarsis infuscatis. Capitis thoracisque pictura ut in D. polito, sed frons punctata, plerumque rufescens. *Elytra* lineas in singulo non nisi tres habent albas, quarum prima in ipsa sutura, tenuis, secunda ab humero ad apicem ducta, et tertia in ipso margine; inter mediam et suturalem præterea lineolæ interruptæ rudimentum.

.58. Lamia axillaris.

L. cyanea, nitida, albo pubescens; thorace subspinoso; elytris punctato-scabriusculis, humeris flavis.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich. Mus. Holmiense.

Longitudo 4 lin. — *Antennæ* longitudine corporis, graciles, nigræ, subtus pilis longiusculis obsitæ. *Os* nigrum. *Corpus* ceterum laete cyaneum, nitidum, sed pube subtilissima alba vestitum, immixtis pilis fuscis paucioribus. *Caput* æquale, impunctatum. *Thorax* quam longus paullo latior, tuberculis minutis lateralibus, et duobus dorsalibus obsoletioribus, ceterum lævis. *Scutellum* breve, rotundatum, cyaneum. *Elytra* thorace manifeste latiora, illoque quadruplo longiora, apice rotundata, mutica, supra modice convexa, punctis seriatis subscabrata; humeri macula sat magna, lacte flava, subtriangulari, notati. *Corpus* subtus cyaneum, albosericeum, pedibus gracilibus, muticis, concoloribus. *Alæ* fuscæ.

.59. Lamia saga.

L. cinerea, luteo albidoque varia, thorace brevi spinoso, fascia ferruginea; elytris cinereis, conferte albido-punctulatis, lævibus, punctis baseos elevatis nigris. ♂. ♀.

Hab. in Brasilia, Dom. Christofferson. Mus. Dom. Schoenherr.

Magnitudo Lam. Textoris, sed habitu et facie proxime affinis Lam. irroratæ Fabr., capite thoraceque latis retractis a reliquis diversa. *Caput* magnum, retractum, fronte retusa quadrata, æquali, pallide ferrugineum, macula sub oculis nigra scabrosa, ore nigricante; in medio frontis verticisque lineola impressa longitudinalis. *Oculi* magni laterales, sublineares, superne ad antennarum insertionem emarginati. *Scrobis* antennalis angulus interior in mare productus, subspinosus, in femina non prominulus. *Antennæ* corporis longitudine, masculi longiores, simplices, cinereæ. *Thorax* quam longus fere duplo latior, apice basique truncatus, parum sinuatus, lateribus spina valida nigra armatus, parum convexus, carinula media transversa lineisque impressis ante apicem et basin sculpturatus; cinereus, ante medium linea transversa pallide ferruginea. *Scutellum* semiovatum, cinereum. *Elytra* ad basin thorace multo latiora, et latitudine baseos plus duplo longiora, humeris subrectis prominulis, posterius sensim et parum angustata, apice rotundata, mutica, convexa, grisea, lævia, undique punctis vel guttulis albis conferte et inordinate conspersa; prope ipsam basin colore pallide-ferrugineo lineata, ibidemque punctis paucis elevatis nigris, nitidis adspersa. *Corpus* subtus pallide griseum, parum luteo varium, segmentorum marginibus lutescentibus, lineolaque pectoris laterali alba. *Pedes* breves simplices, corpori concolores, femoribus vix incrassatis.

60. Lamia acromii.

L. thorace mutico, cinereo griseoque nebuloso et subfasciato, humeris elevatis, carinatis.

Hab. in Brasilia Dom. Christofferson, Mus. Dom. Schoenherr.

Mas radicula antennarum cornuta, antennis corpore duplo longioribus. *Femina* antennis corpore haud longioribus, radicula mutica.

Longitudine Saperdæ tremulæ, sed latior, versus humeros dilatata. *Corpus* totum tectum investimento e pube brevi, adpressa, pallida, griseo vel cinereo varia. *Caput* antice retusum, æquale; pube depressa albida vestitum, punctis fuscis, sparsis, mandibulis labroque concoloribus, palpis nigris. *Antennarum* acetabulum in masculis margine interiore in spinam validam productum, in feminis etiam nonnihil prominulum, quare vertex inter antennas emarginatus apparet; antennarum utriusque sexus articulus primus magnus, clavatus, oblique nigro cinereoque variegatus; articuli reliqui teretes, lineares, pallide testacei, apice nigri. *Thorax* antice posticeque truncatus, lateribus rectis, muticis, dorso parum convexus, inæqualis, rugoso-punctatus, griseo vel cinereo varius. *Scutellum* semiovatum, cinereum. *Elytra* triangularia, ad basin thorace duplo latiora, humerum ope dilatata, posterius sensim attenuata, versus apicem rotundata, convexa; basi punctata, apice lævia, crista humerali valida, obliqua, elevata, denudata, fusca; fasciæ duæ albidæ, prima obliqua in medio, vix determinata, altera ante apicem, punctis fuscis undique irrorata. *Corpus* subtus albidum, maculis irregularibus denudatis nigris. *Pedes* mediocres, corpori concolores; femoribus modice clavatis, nonnihil compressis. *Mas* obscurior femina, ceterum magnitudine et habitu æqualis.

61. Saperda Cassandra.

S. nigra, antennis pedibusque concoloribus; thoracis lateribus, elytrorum maculis 6 oblongis apiceque emarginato spinoso, albis.

Hab. in Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient.

Elegans species, inter majores hujus generis, elongata, utrinque angustata. Longitudo 10 lin. *Antennæ* corpore longiores, nigræ, simplices, articulis elongatis. *Caput* parvum, æquale, nigrum, macula pone oculos alba; frons deflexa, sulculo inter antennas profundissimo longitudinali, ceterum lævis. *Thorax* basi apiceque truncatus, antice angustior, teres, lateribus muticis, in medio niger, utrinque vitta lata alba, lineari, vittaque nigra ejusdem latitudinis; subtus ad pedum insertionem iterum albus. *Scutellum* cordatum nigrum. *Elytra* antice thoracis basi multo latiora, illoque plus triplo longiora, postice sensim angustata, angulis humeralibus prominulis, subcompressis, margine laterali determinato, deflexo, apice emarginata, angulo exteriore in spinam producto; supra convexa, nigra, opaca; versus marginem maculæ quatuor albæ, longæ, seriatim dispositæ; prima basalis, quarta minuta in ipsa emarginatura apicis. Margo lateralis deflexus niger, nitidissimus, costa manifesta, ab humero fere ad apicem usque ducta; prope suturam lineola impressa. — *Corpus* subtus nigrum, opacum, ad latera album, abdominis fascia lateralis alba, dentata; segmentum anale nigrum, emarginatum. — *Pedes* elongati, nigri, immaculati, mutici; femoribus omnibus insigniter clavatis.

62. Sangaris concinna.

S. capite, thorace, corporeque subtus, testaceo-albidis; elytris truncatis et spinosis, fuscis, apice pallidioribus, plaga dorsali, puncto laterali fasciaque subapicali, albidis.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin. Mus. Holmiense.

Species habitu elegante, proprii generis, vel Subgeneris saltem, videtur. Frons quadrata, æqualis, perpendicularis, ut in Lamia vel Saperda; thorax vero subglobosus, investimentum sericeum atque habitus concinnus Clyti, sed elytra dorso plana, et humeri prominuli ut in *Saperdis* primæ sectionis. Ab omnibus reliquis Cerambycinis *Lamioïdeis* optime distincta *femoribus posticis ultra elytrorum apicem protensis.*

Longit. corporis lin. 6. — *Antennæ* corpore plus duplo longiores, setaceæ, tenuissimæ, articulo primo clavato, nigro, longitudine capitis cum thorace; reliquis longitudine subæqualibus, nigris vel nigro-fuscis, uno alteroque ad basin albidis. *Corpus* investimento e pube tenuissima depressa obductum. *Caput* albidum, genis nigris, fronte quadrata, æquali. *Os* lutescens. *Oculi* ovati, pro antennarum insertione valde emarginati. *Thorax* subglobosus, muticus, basi apiceque truncatus, pallide lutescens holosericeo nitens. *Scutellum* parvum, subcordatum, nigrum, apice albo. *Elytra* ad basin thorace manifeste latiora, quam lata plus duplo longiora, posterius angustata, lateribus deflexis, apice truncata, anguli exterioris spina distincta; supra ad basin plana, humeris prominulis, angulatis, apice convexa; fusca vel nigro-spadicea, dorsi antici plaga irregulari punctoque laterali albis; totus apex pallidius fusco-testaceus, antrorsum fascia alba terminatus. *Elytra* undique setulis nigris parcius adspersa. *Corpus* subtus albidum, sericeo nitens, lateribus pectoris fuscis, abdominis subolivaceis. *Pedes* longi, glaucescentes; femora manifeste clavata, mutica, postica parte fere dimidia ultra apicem elytrorum protensa; tibiæ rectæ.

63. Stenopterus aurulentus.

St. ferrugineus, pube flavo-aurulenta obductus, antennis serratis nigris; elytrorum vitta suturali pallida, nitida. ♂. ♀.

α. Pedibus ferrugineis, nigro maculatis.

β. Pedibus immaculatis.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich. Mus. Holmiense.

Longit. lin. 8., latit. elytrorum lin. 2. — *Antennæ* thorace duplo longiores, crassiusculæ, acute serratæ, nigræ, immaculatæ, in utroque sexu similes. *Caput* nigrum, flavo-pubescens, fronte rufescente, carinata. *Oculi* ovati, nigri, in fronte approximati, profunde emarginati. *Thorax* rotundatus, obscure ferrugineus, investimento flavo-aureo tectus, supra depresus, inæqualis, carinula media dorsali, per impressionem profundam subbasalem interrupta; ad latera posterius utrinque plica arcuata, nigra, rugosa. *Scutellum* parvum, linguæforme, flavo-pubescens. *Elytra* thorace latiora, sed posterius valde angustata, acuminata, dehiscentia, evidenter marginata, versus latera ferruginea et punctata, juxta suturam pallida, lævia atque nitida, macula didyma nigra sub scutello. *Alæ* obscuræ, longitudine abdominis. *Pectus* nigrum, investimento flavo-aureo, nitido. *Abdomen* elytris multo longius, gracile, ferrugineum, pube tantum tenui, fugaci, obductum. *Pedes* breves, validi,

luteo-ferruginei, femoribus valde clavatis, tibiis rufo-pilosis, extrorsum linea nigra; tarsis ferrugineis.

Mas segmento anali obtuso, emarginato; oculis in fronte magis approximatis. *Femina* segmento anali elongato, angustato.

Var. β non differt nisi femoribus pallidioribus, basi flavescentibus, apice ferrugineis, absque macula nigra.

64. Sagra cyanea.

S. cyanea vel subviolacea, elytris punctato-striatis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Reliquis hujus generis multo minor, Donacia crassipede vix vel parum major, etsi multo robustior; a ceteris valde distincta elytris punctato-striatis, habitu et partium forma vero illis simillima. *Corpus* totum obscure cyaneum vel subviolaceum, læve, parum nitidum, antennis pedibusque concoloribus, abdomine obscuriore, polito, nitidissimo. *Elytrorum* striæ in singulo decem, e punctis minutis, regularibus, pari spatio remotæ, (marginali tamen paullo remotiore) ante elytri apicem evanescentes; juxta scutellum striola abbreviata; interstitia lævia. *Femora* incrassata, dentata. — *Mas* major, femoribus posticis latere exteriore ante apicem tridentatis, tibiis ante apicem latere interiore utrinque dente armatis. — *Femina* minor, femoribus posticis ante apicem crenulatis, unidentatis, tibiis muticis.

Obs. Ex analogia veri simile nobis videtur Sagram splendidam Fabr. marem, S. purpuream vero feminam ejusdem esse speciei.

65. Megalopus fasciatus.

M. niger nitidus, antennis pedibusque concoloribus; elytris rubris fascia lata nigra.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Longit. 4½ lin., latitud. 2 lin. Paris. — *Corpus* totum nigrum, exceptis elytris. — *Antennæ* thorace vix longiores; articulus primus obconicus, secundus brevis, tertius longior clavatus; quartus iterum parvus, reliqui latiores, breviusculi, transversi, compressi, opaci, apicalis obtusus. *Caput* thorace multo latius, punctulatum, collo valde angustato, fronte retusa; os cum palpis et mandibulis nigrum. Ad latera oris linea alba nitidula. *Oculi* laterales, maximi, ovati, valde prominentes, obscuri, antice acute excisi. — *Thorax* transversus, antice posticeque constrictus, lateribus angulatus, subdentatus, supra modice convexus, parce punctatus. *Scutellum* majusculum triangulare. *Elytra* thorace multo latiora, humeris latis et valde prominentibus, posterius sensim angustata, aliquantum dehiscentia, apice singulatim rotundata, latitudine baseos vix dimidio longiora; parum convexa, rubra, nitida, punctata; pone medium fascia lata nigra, integra, subtilissime et confertissime punctata. *Corpus* subtus valde convexum, nigrum, nitidum, albo-pubescens; abdomen contractum, segmento anali magno, pygidio ab elytris haud tecto. *Pedes* longiusculi, validi, compressi, nigro pilosi; femora postica magna, incrassata, compressa, mutica, extus punctulata, intus glaberrima. *Tarsi* omnes distincte 4-articulati; articulis 1—3 brevibus, transversis, evidenter soleatis, apicali magno, reliquos simul sumtos longitudine fere æquante. *Alæ* nigricantes. *Corpus* pube brevissima nigra obductum.

66. Lema

66. Lema livida.

L. fusco-brunnea, antennis pedibusque concoloribus, thorace utrinque in medio impresso, elytris lividis profunde punctato-striatis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

Lem. merdigera duplo major, præsertim longior, fere 4 lineas longa. *Caput* triangulare, brunneum, pube pallida adspersum, fronte plana, punctulata, lineola verticis cruceque impressis. *Oculi* valde prominuli, lunati, intus anguste emarginati, fusci. *Collum* angustum, brunneum, nitidum, læve. *Antennæ* dimidio corpore non longiores, brunneæ, apice nigricantes. *Thorax* quam latus vix longior, antice parum angustior, truncatus, lateribus immarginatus, in medio utrinque impressus, basi etiam truncatus, supra parum convexus, æqualis, fusco-brunneus, punctulatus, basi apiceque pallidioribus, impunctatis. *Scutellum* semiovale, fusco-brunneum, læve. *Elytra* magna, thorace duplo latiora, illoque plus quadruplo longiora, apice rotundata, supra convexa, livida vel sordide testacea, profunde et regulariter punctato-striata, callo humerali lævi, sutura margineque incrassatis pallide brunneis; ad suturæ basin callus indeterminatus. *Corpus* subtus fusco-brunneum, pube brevi pallida adspersum. *Pedes* corpori concolores, immaculati, femoribus modice clavatis, tibiis tarsisque flavo-pubescentibus. — Variat corpore obscuriore, fusco, et antennis nigricantibus; elytrorum vero color idem.

67. Lema calcarata.

L. rubra nigro-maculata, thorace posterius utrinque impresso; elytris rufis, sutura, maculis, fascia apiceque nigris; pedibus nigro-æneis, tibiis intermediis dente armatis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Magnitudo et habitus Lemæ 14-punctatæ; longit. fere 3 lin. — *Caput* triangulare, rufum, inæquale, vertice bicalloso, sub antennis nigro-æneum, ore concolore. *Oculi* valde prominuli, lunati, antice incisi, brunnei. *Collum* rufum, glabrum, nitidum, subtus nigro-æneum, punctisque duobus dorsalibus ejusdem coloris. *Antennæ* nigræ, immaculatæ, basi approximatæ, articulo secundo parvo nodoso, reliquis obconicis. *Thorax* latitudine apicis paullo longior, antice dilatatus, subtruncatus, angulis lateralibus prominulis, acutis, pone medium utrinque profunde impressus, basi etiam truncatus; supra convexus, ante basin constrictus, vix nisi sub oculo acute armato subtilissime et obsolete punctulatus; rufus, nitidus, margine baseos macula utrinque dorsali, punctisque duobus lateralibus nigris. *Scutellum* semiovatum, nigro-æneum. *Elytra* thoracis basi fere duplo latiora et illo quadruplo longiora, humeris callosis, rectangulis, apice rotundata, modice convexa, nitida, regulariter et sat profunde punctato-striata, dilutius rufa, maculis in singulo sex nigris; prima parva juxta callum humeralem; secunda paullo posterius, juxta marginem; tertia illi opposita, ad suturam pari conjuncta; quarta in medio elytri, transversa; quinta oblique transversa, cum pari fasciam arcuatam, marginem non attingentem, formans; sexta in ipso apice; — sutura infuscata; margo dilute rufescens, immaculatus. *Corpus* subtus rufum, nitidum, macula pectoris laterali nigra; abdomen dilutius rufo-testaceum, segmentorum marginibus in medio nigris. *Pedes* nigri, pube lutescente rarius adspersi, immaculati; tibiæ intermediæ latere interiore in medio dente valido, compresso, armatæ. *Alæ* pallidæ, apice infuscatæ.

68. Lema parellina.

L. longior, corpore pedibusque nigro-cyaneis; elytris cyaneis, immaculatis; antennis nigris.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Magnitudo et habitus Lem. Tranquebaricæ omnino; 4½ lin. longa. *Antennæ* dimidii corporis longitudine, nigræ, sub oculos insertæ; articulus primus brevis, ovatus; secundus brevissimus, nodosus, tertius et quartus breves, obconici, sequentes illis duplo longiores et crassiores, obconici, vel subcylindrici. *Caput* triangulare, obscure cyaneum, nitidum, obsolete punctulatum; frons inæqualis, cruciatim impressa, calloque longitudinali inter antennas. *Os* nigrum, palpis rufopiceis. *Oculi* magni prominuli, brunnei, intus anguste et obsoletius incisi. *Collum* violaceum, nitidum, subtilissime punctulatum. *Thorax* latitudine longior, basi apiceque truncatus, ante apicem dilatatus, utrinque tuberculo parvo spiniformi armatus; in medio utrinque profunde impressus, ante basin per lineam impressam quasi constrictus, totus cyaneus, nitidus, supra lævis, disco longitudinali et lateribus punctatus. *Scutellum* parvum, obtusum, nigro-cyaneum. *Elytra* thorace duplo latiora, illoque quadruplo longiora, apice rotundata, humeris elevatis rectangulis; tota viridi-cyanea, immaculata, regulariter punctato-striata, callo humerali lævi. *Corpus* subtus nigro-cyaneum, nitidum, lateribus pube brevi albida adspersum. *Pedes* obscurius nigro-cyanei, mutici, femoribus modice incrassatis, tibiis tarsisque pallide pubescentibus.

69. Lema abdominalis.

L. nigra, elytris cyaneis, abdomine rufo, thorace lævi, post medium constricto; antennis longis.

Hab. in Sierra Leona, Dom Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Magnitudo 2 lin. — Facies L. cyanellæ, sed abunde distincta antennarum et thoracis forma, abdomineque rufo. — *Antennæ* corpore parum breviores, nigræ; articulo primo ovato, brevi; secundo brevissimo nodoso; 3 et 4:to brevibus obconicis, reliquis etiam obconicis sed longioribus. *Caput* triangulare, nigro-cyaneum, macula verticis rubra, fronte plana, cruciatim impressa; ore rufo. *Oculi* magni, prominuli, brunnei, intus anguste incisi. *Thorax* latitudine paullo longior, basi apiceque truncatus, anterius paullo latior, et ante apicem utrinque puncto prominulo instructus, post medium sulculo transverso profunde constrictus; valde convexus, totus niger vel obscure nigro-cyaneus, lævis, non visibiliter punctatus, parum nitidus. *Scutellum* semiovatum, obtusum, cyaneum. *Elytra* thorace duplo latiora, triploque longiora, cyanea, nitida, regulariter et sat profunde punctato-striata, humeris elevatis rectangulis, lævibus. *Pectus* nigrum, læve, pallide pubescens. *Pedes* nigri, mutici, femoribus modice incrassatis, pube brevissima pallida parcius adspersi.

70. Galleruca ephippiata.

G. flavo-testacea, antennis extrorsum tibiis tarsisque nigris; elytris coeruleis nitidis, fascia latissima flavo-testacea, sinuata.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Species elegans, affinis G. zonæ Fabr., sed paullo minor, (vix 5 lineas longa) capite non impresso, thorace profundius punctato, elytrorum fascia duplo latiore. *Caput* parvum

crassiusculum, flavo-testaceum, haud nitidum, confertissime punctatum, margine orali maculisque duabus supra antennarum insertiones elevatis, nitidis. *Os* capiti concolor, nitidulum, mandibulis apice nigris. *Oculi* parvi, nigri, prominuli. *Antennæ* longitudine dimidii corporis, articulo primo secundoque flavis, reliquis nigris, obconicis, subæqualibus. *Thorax* parvus, transversus, longitudine plus duplo latior, antice angustior, truncatus, angulis deflexis, rotundatis, minime prominulis, lateribus vix rotundatus, basi subtruncatus, supra convexus, totus flavo-testaceus, paullo nitidus, confertissime et sat profunde punctatus, et versus medium utrinque foveola discoidali non determinata impressus. *Scutellum* cordatum, flavescens, nitidum. *Elytra* ampla thorace fere sextuplo longiora, multoque latiora, humeris rotundatis; post medium dilatata, apice rotundata, supra convexa, confertissime subtiliter punctulata, subcoriacea, basi apiceque cœrulea, nitida, versus latera cyanea, relicta in medio fascia latissima flavo-testacea, quæ ad suturam paullo descendens, versus margines angustata. (Elytrorum lineæ elevatæ in hac specie nullæ.) *Alæ* infuscatæ. *Corpus* subtus luteo-testaceum, nitidum, femoribus et tibiarum geniculis concoloribus, tibiis tarsisque nigris.

71. Galleruca amoena.

G. ovata, subtus rubra, pedibus concoloribus, ore antennisque testaceis; supra viridi-celadonica, nitida, elytrorum basi late rubro, fascia media arcuata apiceque flavo-albidis.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin. Mus. Reg. Ac. Scient.

Ad illas *Gallerucas* pertinere videtur quæ a Fabricio *Crioceres* salutantur, genere vero vix distinguendæ. — Longit. 4 lin., latit. vix 2 lin. — *Caput* mediocre, subtriangulare, celadonicum, nitidum, impunctatum, ad antennarum basin utrinque impressum. *Os* flavo-testaceum, mandibulis nigris. *Oculi* nigri, prominuli. *Antennæ* filiformes, corpore breviores; articulus primus obconicus, 2 et 3 brevissimi, cum 4:o flavi; 5, 6, 7 rufescentes, 8, 9, 10 iterum pallide flavi, articulus tandem apicalis fuscus. *Thorax* subquadratus, marginatus, antice posticeque truncatus, lateribus post medium subsinuatis, supra convexus, totus supra subtusque læte celadonicus, nitidissimus, impunctatus, utrinque linea intramarginali impressus. *Scutellum* parvum, rubrum, obtusum. *Elytra* ovata, marginata, ad basin thorace latiora, ultra medium valde dilatata, apice rotundata, supra parum convexa, læte celadonica, nitida, oculo acute armato subtilissime punctulata; — prope basin macula magna transversa, communis, læte rubra, scutelli basin sed nec humeros nec margines attingens, posterius sinuata; — paullo post elytrorum medium fascia arcuata flavo-alba, posterius spectans, suturam transgrediens, marginem vero non attingens; — ipse margo apicalis iterum tenuissime albido-rufescens. — *Corpus* subtus rubrum, pectore pube depressa albo-sericea vestito, sterno virescente. *Pedes* abdomini concolores, immaculati, simplices; femora media modice incrassata, impunctata, postica non majora ceteris; tibiæ et tarsi albo-pubescentes. Abdomen etiam tergo rubrum; *alæ* infuscatæ.

72. Galleruca lanio.

G. oblonga, sanguinea, nitida, antennis pedibus elytrisque nigris.

Hab. in Brasilia, Mus. Dom. Schoenherr.

Habitu G. cajennensis, sed multo major, 6 lin. longa, corpore sanguineo, et omnino distincta. — *Caput* crassum, convexum, sanguineum, immaculatum, vix punctulatum,

ad os truncatum, vertice fronteque inter antennas obsolete canaliculatis. *Os* rufescens, nitidum, mandibulis nigris. *Oculi* parvi fusci, parum prominuli. *Antennæ* dimidio corpore parum longiores, nigræ, immaculatæ, pallide pubescentes; articulus basalis sat longus, obconicus, secundus brevissimus, tertius longissimus subcylindricus, 4:s etiam longulus, obconicus; reliqui breviores, crassiores, subæquales. *Thorax* brevissimus, longitudine plus duplo latior, antice angustior, late et sat profunde emarginatus, lateribus in medio rotundato-dilatatus, margine laterali elevato, reflexo, postice iterum angustior, subtruncatus, totus sanguineus, nitidus, immaculatus, subtiliter parce punctulatus; supra inæqualis, antice convexus, in medio transversim profunde impressus, et ante scutellum etiam foveola transversali. *Scutellum* subcordatum, obtusum, sanguineum, punctulatum. *Elytra* ampla thorace quintuplo longiora, jam ad basin illo latiora, humeris rotundatis, pone medium dilatata, marginata, apice rotundata, supra parum convexa, atra, subnitida, glabra, subtiliter sed omnium confertissime punctulata, ut sub-coriacea videantur. *Corpus* subtus rufo-sanguineum, nitidum. *Pedes* simplices, nigri, pube brevi flavescente adspersi, femoribus ultra medium rufo-sanguineis.

73. Galleruca paradoxa.

G. oblonga, viridi-cyanea, nitida, thorace transversim impresso, elytris subrugosulis; pedibus flavis; antennis pallide flavis, articulo apicali et septimo, arcuato difformi, nigris.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

Species pulchra, antennarum forma valde singulari; magnitudine et fere habitu *G. 4 maculatæ*, sed paullo longior, gracilior; longitudine 3½ lin. — *Caput* viride, glabrum, nitidissimum, haud punctulatum, vertex sulculo recto a fronte distinctus, punctoque profunde impresso lineolaque impressa ei antice adnata, notatus; frons sub antennis nitidissima sed inæqualis et ad os truncata. *Clypeus*, labrum et mandibulæ nigricantes, nitentes; palpi concolores, crassi, articulo penultimo magno subgloboso, apicali minuto retracto. *Oculi* magni orbiculati, nigri, prominuli. — *Antennæ* dimidio corpore longiores, filiformes, tenues, subtilissime pubescentes, mediæ fronti inter oculos insertæ, pallide flavescentes; articulus primus reliquis longior, subobconicus, paullo arcuatus; secundus brevissimus nodiformis; 3, 4, 5 obconici, sensim decrescentes, 6:s cyathiformis apice infuscatus, — articulus vero septimus niger, semispiralis, apertura sursum spectante; 8 — 10 rursus flavescentes, elongato-obconici; apicalis niger, acuminatus. — *Thorax* brevis, antice longitudine duplo latior, truncatus, angulis prominulis punctoque elevato quasi adauctis, lateribus oblique rotundatus, tenue marginatus, posterius sensim angustior, basi truncatus, angulis oblique obtusatis; supra modice convexus, subtilissime punctulatus, viridis, nitidissimus, in medio transversim profunde impressus. *Scutellum* breve, triangulare, viride, nitidissimum, læve. *Elytra* thorace multo latiora, humeris elevatis, illo fere sextuplo longiora, posterius non dilatata, apice rotundata; supra convexa, saturate viridia, nitida, lateribus cyaneo-violacea, punctis sat profundis, vagis, confertissimis adspersa, quorum interstitia certo situ rugulas formant; versus suturam striæ nonnullæ longitudinales impressæ, obsoletissimæ tamen. *Alæ* fuscæ, nervis obscuris. *Corpus* subtus viridi-cœrulescens, nitidum. *Pedes* graciles, flavi, subtiliter pubescentes, coxis magnis concoloribus, tarsis apice fuscis.

Obs. Antennarum singularis forma forsan tantum masculo propria.

74. GALLERUCA silphoides.

G. subovata, depressa, nigra, thorace transverso elytrisque subabbreviatis obtusisque rufo-testaceis, punctatissimis.

Hab. in Iberia? vel ad Caucasum? — a D. STEVEN missa. Mus. D. SCHOENHERR.

Forma ab hoc genere aliena, depressa, elytris abdomine brevioribus apice singulatim rotundatis, facie fere Silphæ. — Longitud. 4 lin. — *Caput* breve, transversum, nigrum, nitidum, parcius punctulatum, ore truncato concolore. *Oculi* parvi prominuli, nigro-brunnei. *Antennæ* dimidio corpore longiores, crassiusculæ, nigræ, immaculatæ; articulus primus reliquis major, obconicus, secundus brevissimus nodiformis, 3 — 7 breviter obconici, sensim decrescentes, omnes nitidi, apicales vero 4 paullo minores, opaci. *Thorax* transversus, quam longus plus duplo latior, antice paullo angustior, truncatus, angulis vix prominulis; ante medium dilatatus, lateribus oblique rotundatus, marginatus, basi iterum angustior, medio emarginatus; — supra parum convexus, canalicula dorsali longitudinali et utrinque foveola magna discoidali impressus, totus rufo-testaceus, nitidus, conferte et rude punctatus, foveolis lateralibus paullo infuscatis. *Scutellum* rotundatum, nigrum, nitidum, puncto apicis impresso. *Elytra* thorace quadruplo longiora, antice illius medio vix latiora, sed postice valde dilatata, margine laterali elevato, reflexo, apice obtusa, et singulatim rotundata, abdominis apicem non tegentia, supra depressa, rufo-testacea, immaculata, undique confertissime punctata, sutura lineaque parallela nonnihil elevatis, ceterarum costarum non nisi obsoletissimis vestigiis. — *Abdomen* a tergo nigrum, segmento penultimo margine albo, pygidio non obtecto, rotundato, obtuso. *Alæ* completæ, albæ. — *Corpus* subtus nigrum, nitidum, obsolete punctatum. *Pedes* mediocres, nigri, nitiduli, punctati, tarsis omnibus subtus pallide spongiosis.

75. HALTICA dilatata.

H. physapus: flavo-testacea, antennis pedibusque concoloribus, elytris viridibus nitidis; antennarum articulo basali dilatato.

Hab. in Sierra Leona, Dom. AFZELIUS. Mus. Dom. SCHOENHERR.

Longitudo 2 lin. — *Caput* flavo-testaceum, ore concolore, vertice infuscato, punctato, lineola frontali longitudinali impressa. *Oculi* parvi, nigri. *Antennæ* longitudine dimidii corporis, tenues, testaceæ, apice infuscatæ; articulus basalis margine antico valde dilatatus, compressus. *Thorax* transversus, basi truncatus, apice late emarginatus, lateribus parum rotundatus; flavo-testaceus, immaculatus, subtiliter et minus conferte punctulatus; convexus, margine laterali subreflexo. *Scutellum* triangulare, obscurum. *Elytra* thorace quadruplo longiora, antice illius latitudine posterius paullo latiora, marginata, convexa, apice deflexo-rotundata, aureo-viridia, nitida, undique confertissime subtiliter punctulata, sutura margineque rufo- vel violaceo-micantibus. *Corpus* subtus flavo-testaceum, macula anali nigra. *Pedes* corpori concolores; femora postica magna subovata; tarsi anteriores articulo primo magno inflato, secundo parvo, tertio denuo latiore, bilobo; tarsi postici articulo 1:mo et 3:tio majoribus secundo; ungviculari supra globifero, ut in reliquis hujus divisionis.

76. HALTICA viridipennis.

H. physapus: sordide-testacea, punctulata, antennis pedibusque concoloribus, elytris cœruleo-viridibus, subscabris.

Hab. in Sierra Leona, Dom. AFZELIUS. Mus. Dom. SCHOENHERR.

Longit. 3⅓ lin. — *Caput*, thorax, pectus, antennæ et pedes saturate testacea, abdomen obscurius fusco-testaceum, elytra cœruleo-viridia, immaculata. — *Caput* in vertice conferte punctatum, inter oculos utrinque macula elevata lævi. *Antennæ* longitudine dimidii corporis, articulis simplicibus, versus apicem infuscatæ. *Oculi* obscuri, semiglobosi, prominuli. *Thorax* basi apiceque truncatus, antice angustior angulis prominulis acutis, supra convexus, versus latera depressus, marginatus, margine versus angulos posticos elevato, undique confertissime punctatus, et ante basin impressione transversali. *Elytra* thorace quadruplo longiora, et ad basin illo paullo latiora, humeris elevatis, posterius paullo dilatata, apice rotundata, marginata, supra parum convexa, tota confertissime et rude punctata, punctis in rugulas confluentibus, unde scabra evadunt; ipse margo lateralis subtus obscure brunneus vel piceus. *Abdomen* punctatum. Femora postica magna, ovata, lævia, nitida. Tarsorum articulus 2:s minutus; posticorum apicalis supra globiferus. *Alæ* fuscæ.

77. Haltica helveola.

H. sulcicollis; flavo-testacea, antennis pedibusque concoloribus, immaculatis, thorace elytrorumque margine rufis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Longitudo 2 lin. — *Antennæ* vix dimidii corporis longitudine, articulo primo longiore, ovali, 2:do brevi globoso, 3:tio longiore, obconico, reliquis brevibus obconicis, apicali iterum oblongo. *Caput* saturate luteum, ad os pallidius, nitidum, lævissimum, macula elevata utrinque inter oculos, et carinula longitudinali inter antennas. *Oculi* nigri, semiglobosi, valde prominuli. *Thorax* transversus, basi angustatus, truncatus, lateribus rotundatus, marginatus, apice quam ad basin vix angustior, emarginatus, angulis deflexis rotundatis, disco anteriore sat convexo, margine laterali reflexo; totus saturate rufo-testaceus, margine dilutiore, lævissimus, nitidus, antice sulco impresso transversali, utrinque foveola profundiore terminato. *Scutellum* minutum, rufo-testaceum. *Elytra* ad basin thoracis medio paullo latiora, illo quadruplo longiora, marginata, valde convexa, lævissima, nitida, flavo-testacea, sutura concolore, margine vero laterali et apicali rufescentibus. *Corpus* subtus luteo-testaceum, nitidum, abdomine flavescente. *Pedes* rufo-testacei, immaculati, femoribus posticis ovatis, minus incrassatis. *Alæ* pallidæ.

Obs. Nuper exclusa pallidior tota est, thorace pallide testaceo, elytrorum margine non rufescente.

78. Haltica foveolata.

H. sulcicollis, ovata, rufo-testacea, nitida, oculis et antennarum apice nigris; undique punctulata; thoracis basi sulco transverso, utrinque foveola terminato.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius. Mus. Dom. Schoenherr.

Longitudo 1½ lin. — Color Halt. oleraceæ Gyllenh., (ferrugineæ Ill.) *Antennæ* dimidio corpore vix longiores, articulis 5 baseos rufo-testaceis, reliquis 6 nigris; articulus primus major obconicus, secundus parvus subovalis, sequentes longiores cylindrico-obconici, exteriores nigri crassiores. *Caput* subtilissime punctulatum, nitidum, fronte inæquali; inter antennarum basin et marginem oculi superiorem utrinque linea elevata obliqua, ad cujus medium posterius punctum impressum; inter antennarum basin et os callus transversus. *Os*

capiti concolor. *Oculi* mediocres, prominuli, nigri. *Thorax* quam longus fere duplo latior, antice late sed parum profunde emarginatus, lateribus rotundatus, marginatus, basi media parum rotundatus, angulis prominulis; supra antice satis, postice parum convexus, undique conferte et sat profunde punctulatus; — ad ipsius baseos marginem striga transversa, impressa, tenuis, undique terminata foveola majore, profundiore, recta, antrorsum producta, in fundo punctata. *Scutellum* parvum, triangulare, læve, rufo-testaceum. *Elytra* thoracis basi latiora, humeris rotundatis subelevatis, illoque fere quintuplo longiora, dorso vix convexa, undique confertissime, subtiliter sed irregulariter punctulata, rufo-testacea, immaculata, apice paullo pallidiora. *Alæ* albidæ. *Corpus* subtus ferrugineo-testaceum, nitidum, pectore obscuriore; parcius punctulatum. *Pedes* mediocres, rufo-testacei, femoribus posticis subovalibus, modice incrassatis, lævibus, nitidis.

79. HALTICA xanthomelas.

H. saltatrix; oblonga, nigra, antennis pedibusque concoloribus; thorace, abdomine, femorumque basi flavis.

Hab. in New York Americæ, Dom. WESTFELT. Mus. Dom. SCHOENHERR.

Longitudo fere 3 lin. — *Caput* prominulum, triangulare, nigrum, nitidum, ore palpisque concoloribus; frons inter antennas carina longitudinali distincta; vertex lævis, punctis in medio sparsis, lineaque supra-oculari arcuata impressus. *Oculi* majusculi, prominuli, oblongiusculi, nigri. *Antennæ* dimidio corpore non longiores, articulis 3 baseos flavis, fusco-maculatis, reliquis nigris obconicis, apicali ad basin lutescente. *Thorax* brevis, transversus, antice angustior, truncatus, lateribus oblique rotundatus, evidenter marginatus, basi subtruncatus, supra convexus, præsertim antice; lævis, impunctatus, nec sulculo nec foveolis impressus, totus flavus vel lutescens, nitidus. *Scutellum* triangulare, nigrum, læve. *Elytra* antice thoracis basi paullo latiora, et illo plus quadruplo longiora, humeris rotundatis non prominulis, lateribus marginata, apice conjunctim rotundata; supra parum convexa, tota atra, nitida, immaculata, lævigata, vel sub oculo acute armato subtilissime temere punctulata. *Thorax* subtus lutescens; pectus nigrum; abdomen saturate flavum, immaculatum. *Pedes* mediocres, validi, nigri, pallide pubescentes, femoribus omnibus a basi ad medium usque flavis, posticis magnis, oblongis, utrinque angustatis, temere punctulatis. *Alæ* fuscæ.

80. HALTICA glabrella.

H. saltatrix, ovalis, subdepressa, tota aterrima, lævissima, nitida, immaculata; thorace postice angustiore, rotundato, antennis crassis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. AFZELIUS, Mus. Dom. SCHOENHERR.

Parva, magnitudine Halt. helxines, sed forma aliena. *Caput* triangulare, nitidum, læve, fronte valde inæquali; intra oculorum marginem superiorem lineola valde arcuata, subangulata, antennarum basin non attingens; inter antennas carinula longitudinalis, et sub antennarum basi foveola profunda. *Os* capiti concolor. *Antennæ* longitudine dimidii corporis, crassiores quam in plerisque hujus generis, totæ nigræ, minus nitidæ, subtilissime pubescentes; articulus primus mediocris subturbinatus, secundus minimus nodiformis, reliqui illis duplo crassiores, breviter subobconici, ultimus subacuminatus. *Oculi* prominuli, fusco-brunnei. *Thorax* antice capite cum oculis non latior, vix emarginatus, angulis prominulis valde deflexis, lateribus rotundatus, marginatus, basi iterum nonnihil angustatus, rotundatus;

supra antice convexus, totus niger, nitidus, oculo armato conferte sed subtilissime punctulatus; ceterum æqualis, sulcis vel foveolis nullis. *Scutellum* parvum, triangulare, nitidum, læve. *Elytra* thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulis, elevatis; illo quintuplo longiora, dorso subdepressa, lævissima, nitida, oculo acute armato vix nisi subtilissime punctulata. *Corpus* subtus nigrum, nitidum; segmenta ventralia hinc inde strigis lutescentibus transversis, vix determinatis. *Pedes* mediocres, nigri, nitidi, femoribus posticis ovalibus, modice incrassatis.

81. Haltica lateritia.

H. saltatrix: brevis ovata, rufo-ferruginea, nitida, lævis, oculis antennisque extrorsum nigris; thorace brevissimo transverso, margine reflexo.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

Longit. 2 lin. — *Caput* triangulare, rufo-ferrugineum, nitidum, vertice lævissimo semicirculariter elevato, strigaque arcuata impressa a fronte distincto; supra antennarum insertiones tubercula duo parva, obliqua, paria, et inter antennas carinula brevis sat elevata; regio oris dilutius rufo-testacea, inæqualis, ore concolore. *Oculi* magni prominuli, nigri. *Antennæ* dimidio corpore paullo longiores, basi testaceæ, extrorsum paullo crassiores et nigricantes; articulus primus sat longus obconicus, 2:s illo triplo brevior, obovatus; tertius præcedente haud duplo longior; reliqui subæquales, elongato-obconici. *Thorax* brevissimus, quam longus plus duplo latior; antice capite cum oculis multo latior, non profunde sed late emarginatus, angulis prominulis subcallosis; lateribus rotundatus, margine valde determinato reflexo, etiam basi rotundatus, supra anterius valde convexus, rufo-ferrugineus, nitidissimus; oculo armato punctulis obsoletis sparsis impressus. *Scutellum* triangulare, nitidum, læve. *Elytra* thoracis basi latiora, illoque sextuplo longiora humeris rotundatis, elevatis; evidenter marginata, supra convexa, lævissima, nitida, oculo armato obsolete punctulata, punctulis prope marginem lateralem paullo evidentioribus. *Corpus* subtus saturatius rufo-testaceum, nitidnm, obsolete punctulatum. *Pedes* corpori concolores, femoribus compressis, nitidis, posticis crassis, ovatis. *Alæ* pallidæ, venis lutescentibus.

82. Haltica spadicea.

H. saltatrix; ovata, rufo-ferruginea, immaculata, oculis antennisque extrorsnm, nigris; thorace punctulato, antice post oculos impresso; elytris irregulariter punctato-striatis, striis per paria subapproximatis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

Affinis H. stolidæ, Schoenh. Syn. Ins., sed triplo minor; longitudine 2 lin. — *Caput* subtriangulare, vertice elevato, lævi, nitido, per lineolas duas obliquas, versus antennarum insertionem conniventes, a fronte distincto; ante antennarum basin utrinque foveola, et inter illas tuberculus parum determinatus. *Os* rufum mandibulis nigricantibus. *Oculi* mediocres nigri, prominuli. *Antennæ* vix longitudine dimidii corporis; articuli basales 4 rufi, reliqui nigri; articulus secundus minus abbreviatus quam in plerisque hujus generis, quartus vero solito brevior. *Thorax* transversus, quam longus duplo latior, antice angustior, profunde emarginatus, angulis prominulis, lateribus rotundatus, marginatus, basi media valde rotundato-productus; supra convexus, nitidus, undique subtiliter sed sat conferte punctatus;

in

in ipso margine antico post oculos utrinque puncto profundo impressus, ceterum æqualis. *Scutellum* parvum triangulare, læve, nitidum. *Elytra* thoracis basi evidenter latiora, illoque quadruplo longiora, humeris rotundatis; supra convexa, nitida, sat evidenter, sed minus regulariter, punctato-striata, striis in singulo elytro per paria octo approximatis, interstitiis lævibus, non elevatis, anguloque humerali lævi, impunctato. *Corpus* subtus rufo-ferrugineum, nitidum, obsolete punctulatum. *Pedes* corpori concolores, compressi, nitidi, femoribus posticis dilatatis, subovalibus. *Alæ* pallidæ, nervis lutescentibus.

83. Haltica dilecta.

H. saltatrix; ovali-hemisphærica, subtus nigra, capite thorace scutello pedibusque rufis; elytris cyaneis subtiliter punctato-striatis; thorace foveola impressa post oculos.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

Facies fere Chrysomelæ Polygoni, etsi parva, lineam longa; sed variat etiam duplo major. — *Caput* breve, ferrugineum, nitidum, subtilissime punctulatum, vertice elevato; inter oculorum marginem superiorem et antennarum insertionem utrinque lineola obliqua et punctum impressum; circa antennarum basin utrinque foveola sat profunda, et supra os carinula transversa. *Os* ferrugineum, mandibulis validis, apice infuscatis. *Oculi* nigri, prominuli. *Antennæ* vix longitudine dimidii corporis, articulis baseos 4 vel 5 ferrugineis, reliquis nigris. *Thorax* brevis, quam longus plus duplo latior, antice angustior emarginatus, angulis marginatis prominulis, lateribus rotundatus, basi sinuatus lobo medio rotundato; supra convexus, rufo-ferrugineus, nitidus, subtiliter sed sat conferte punctulatus; — in ipso margine antico pone oculum foveola parva, profunda, parum producta. *Scutellum* parvum triangulare, ferrugineum, nitidum, læve. *Elytra* thoracis basi latiora, illoque quintuplo longiora, humeris rotundatis; supra valde convexa, tota cyanea, nitida, subtiliter sed sat conferte punctato-striata, striis parum distinctis, versus apicem irregularibus. *Alæ* albidæ nervis pallidis. Caput et thorax *subtus* ferruginea; pectus et abdomen nigra, nitida, punctulata. *Pedes* validi, pallidius ferruginei, nitidi, coxis concoloribus, femoribus posticis incrassatis subovatis.

84. Haltica ærata.

H. altitarsis; ovata, postice obtusa, ore corporeque subtus nigris; supra obscure viridi-ænea, nitida, conferte irregulariter punctata, antennis pedibusque testaceis; femoribus posticis crassissimis, nigro-æneis.

Hab. in Austria, Dom. Megerle de Mühlfeldt, Mus. Dom. Schoenherr.

Magnitudo *H. oleraceæ*, sed forma aliena; robustior, anterius angustata postice obtusata; capite retracto, oculis non prominulis, a congeneribus valde distincta. — *Caput* subtriangulare, sub thoracem nonnihil retractum, obscure viridi-æneum, nitidum, punctulatum; inter antennas tuberculus longitudinalis, connexus cum carinula arcuata, transversa, supraorali. *Os* nigrum. *Oculi* oblongi, nigricantes, haud prominuli. *Antennæ* longitudine dimidii corporis, rufo-testaceæ, extrorsum sensim crassiores, articulis apicalibus apice infuscatis. *Thorax* basi rotundatus, quam longus duplo latior, antice valde angustatus, truncatus, caput amplectens, lateribus valde deflexus, marginatus, supra valde convexus, obscure viri-

di-æneus, nitidus, conferte et sat profunde punctatus, nullis vero foveolis vel impressionibus majoribus. *Scutellum* breve, triangulare, fusco-æneum, læve. *Elytra* thorace quintuplo longiora, antice illo parum latiora, sed posterius valde dilatata, apice obtusa, supra convexa, tota obscure virescenti-ænea, undique confertissime et sat profunde sed irregulariter punctata. Corpus *subtus* nigrum, nitidum, obsoletius punctatum, ano ferrugineo. — *Pedes* anteriores læte ferruginei, immaculati; femora postica magna, valde incrassata, ovato-elliptica, nigra, nitida, vix punctulata; tibiæ posticæ ferrugineæ, apicem versus latiores, latere superiore canaliculatæ, margine crenulatæ; tarsi tibiis concolores.

85. Cassida fornicata.

C. rubra, antennis flavis; thorace lævi; elytris fornicatis, hemisphæricis, cribrosis, maculis 14 nigris.

Hab. in Insulis Americæ, Mus. Dom. Paykull.

Longit. lin. 3. — Species forma singulari, videlicet corpore parvo, sed elytris maximis hemisphæricis, ut videtur, connatis. Corpus exceptis antennis rubrum, vel rubro-ferrugineum, subtus colore saturatiore. — *Antennæ* thorace manifeste longiores, totæ pallide flavæ, extrorsum sensim incrassatæ, articulis subæqualibus, apicali acuminato. *Caput* parvum, retractum, fronte impressa. *Thorax* quam longus plus duplo latior, basi recta truncatus, antice et lateribus evidenter marginatus, apice vix emarginatus, lævis, parum nitidus, disco subpulvinatus. *Scutellum* parvum, triangulare. *Elytra* ad basin latitudine thoracis, sed jam ante medium valde dilatata, angulata, postice rotundata, apice prominulo, semi-globosa, margine laterali dilatato, subplano; undique punctis magnis, profundis et confertis cribrosa, rubra; in singulo maculæ 7 parvæ, nigræ, suborbiculatæ, per series duas alternatim dispositæ; ipse margo ruber, immaculatus. *Corpus* subtus saturatius rubrum, læve, abdomine parvo, valde retracto. *Pedes* validi, rubri, immaculati.

Cassida cribraria Fabr. huic minime affinis, habitu enim omnino alieno. C. gibba Fabr. forte propius accedit, sed describitur margine nigro et elytrorum maculis numerosissimis, quod cum nostra minime quadrat.

86. Platypus præmorsus.

Pl. rufocastaneus, nitidus, antennis tarsis et elytrorum plaga discoidali pallidioribus; elytris subtilissime punctato-striatis, apice eroso-denticulatis; abdomine apice retuso, segmento secundo prominente, exciso.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

Insectum cylindricum, abdominis forma singulari. — Longit. lin. 3. — *Antennæ* pallide ferrugineæ, sub oculis insertæ; articulo primo magno, prominulo, extrorsum flavo ciliato; secundo minutissimo, reliquis omnino contractis, haud discernendis, clavam ovatam valde conpressam formantibus. *Caput* deflexum, æquale, impunctatum, obscure rufum, ore nigro, flavo piloso, mandibulis aliquantum prominulis, acutis. *Oculi* nigri, ovati, prominuli. *Thorax* subcylindricus, apice truncatus, basi subsinuatus, denticulo scutellari; supra lævissimus, rufo-castaneus, oculo armato subtiliter punctulatus, lateribus sinuato-impressus, angulis posticis rotundatis. *Elytra* thorace vix latiora, abdomine longiora, recta, margine baseos elevato; valde nitida, subtiliter et regulariter punctato-striata, saturate rubro-castanea,

macula discoidali pallide-testacea; apice minime declivia, sed toto margine apicali denticulis (in singulo 6) obtusis et irregularibus coronato. *Corpus* subtus rufo-ferrugineum, punctulatum, flavo pilosum.. *Abdomen* nigrum, nitidum, valde difforme: — segmentum primum brevissimum contractum; secundum magnum, margine inferiore prominente, acuto, flavo ciliato, medio ad basin fere exciso; segmenta insequentia brevissima, contracta, apicalia sub elytrorum apicem adscendentia, margine integra, subtus concava; a latere abdomen apparet apice quasi bilobum, in lobos scilicet excavatum, superius integrum, inferius excisum. — *Pedes* brevissimi, compressi, dilatati, rufi, nitidi, tarsis tenuissimis flavis; *antici* femoribus crassis, subtus obtuse bidentatis; tibiis extrorsum totis transversim carinatis et sulcatis (strigilatis), apice dente incurvo armatis. Pedes *intermedii* femoribus muticis, tibiis extrorsum obsolete sulcatis; — *postici* femoribus subtus basi crenulatis, tibiis valde compressis, lævibus, extrorsum ciliatis. — *Tarsi* omnes articulo basali perlongo, ciliato.

87. Platypus dentatus.

Pl. niger, nitidus, antennis tarsis et thorace subtus rufis; elytris striatis, ante apicem depressis, crista dorsali et dentibus duobus inferioribus distinctis; segmento anali tuberculo instructo.

Hab. in Brasilia, Dom. Kreuger, Mus. Dom. Schoenherr.

Longit. 5 lin.; latit. 1 ad $1\frac{1}{4}$ lin. — Habitus Pl. præmorsi, sed duplo major, elytra apice integra, deflexa, nec abdomen ut in illo difforme. Corpus nigrum, pilis fulvis parcius adspersum. — *Antennæ* ferrugineæ, in nostro incompletæ; articulus basalis magnus extrorsum dilatatus, rotundatus, rufo-pilosus. *Caput* vage punctatum, fronte impressa, ore rufescente, mandibulis nigris. *Oculi* ovati, nigri, aliquantum prominuli. *Thorax* subcylindricus, quam latus manifeste longior, apice truncatus, basi sinuatus, lobo scutellari subacuto, supra lævis, nitidus, subtiliter punctulatus; margo lateralis in medio valde sinuatus, angulum dentiformem efficiens; anguli vero postici rotundati. *Elytra* ad basin thorace haud latiora, apicem versus perparum dilatata, margine basali elevato, laterali recto; supra valde convexa, nitida, conferte punctata, obsolete sulcata; ante apicem vero abrupte declivia, arcu superiore dentibus vel tuberculis pluribus, uno ex unaquaque costa, suturalibus majoribus; præterea tuberculus lateralis major; — ipse apex tamen muticus. — *Corpus* subtus nigrum, punctulatum, antice fulvo-pilosum, thoracis lateribus rufescentibus. *Abdomen* æquale, ante apicem tuberculo distincto. *Pedes* breves, nigro-picei, forma et armatura omnino ut in Pl. præmorso, tibiis anterioribus extrorsum simili modo, etsi minus conferte, strigilatis. *Tarsi* tenuissimi, ferruginei, articulo basali perlongo, ciliato; 2 et 3 brevissimis, apicali biunguiculato.

/88. Curculio Gyllenhalii.

C. subellipticus, undique squamulis viridibus nitidissimis indutus; elytris confertim punctato-striatis, costis nigris subreticulatis; pedibus rufo-brunneis.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin, Mus. Reg. Ac. Scient. Holm.

Longit. lin. 6. — *Antennæ* graciles, nigræ, albo-sericeæ, clava ovato-acuminata, quadri-articulata. *Caput* (cum rostro) longitudine thoracis, productum in rostrum sublineare, teretiusculum; conferte sed subtiliter punctulatum, undique squamulis viridibus adspersum; canalicula antennalis obliqua, subocularis; ante singulum oculum et ad basin rostri

punctum parvum impressum; ceterum impressiones vel carinæ nullæ. *Oculi* mediocres, subovati, vix prominuli. *Os* nigrum, flavo-pilosum. *Thorax* basi subtruncatus, apice late emarginatus, lobis deflexis, prominulis, rotundatis; supra convexus, æqualis, totus viride squamulosus, punctis elevatis nigris confertissimis; ante scutellum lineolæ impressæ rudimentum. *Scutellum* breve, obtusum, viride. *Elytra* ad basin thorace multo latiora, illoque triplo longiora, humeris rotundata, posterius angustata, apice prominulo; supra valde convexa, regulariter et conferte punctato-striata, foveolis in fundo notatis puncto nigro; interstitia nigra, nitida, reticulatim connata. *Corpus* subtus viride-squamulosum, atomis nigris irroratum. *Pedes* mutici, rufo-brunnei, nitidi; femora modice incrassata, ad basin paullo viride-squamulosa; tibiæ rectæ, pallide pilosæ; tarsi supra nigri, albo-pubescentes, obsolete viride-squamulosi. *Alæ* fuscæ.

89. Curculio Schœnherri.

C. ellipticus, niger, elytris obsolete striato-punctatis, margine, vitta subapicali punctisque pluribus viridibus, nitidissimis; pedibus viride annulatis.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin, Mus. Reg. Ac. Sc. Holm.

Longit. lin. 6. — Primo intuitu aliquantum accedere videtur ad C. auriferum Fabr., sed thorax multo angustior, caput vero latior, oculis remotioribus. — *Antennæ* tenuissimæ, nigræ, clava distincta, pallida, 4-articulata. *Caput* thorace paullo brevius, in rostrum conoïdeum productum, supra vix convexum, parce punctulatum, nigrum, subtus et lateribus viridi-seladonicum; canalicula antennalis arcuata, sub-ocularis; super singulum oculum sulcus rectus, manifestus, supra antennæ insertionem evanescens; in vertice lineola tenuis impressa. *Oculi* mediocres, ovati, obliquati, prominuli. *Thorax* basi truncatus, apice angustior et late emarginatus, lobis prominulis, rotundatis; valde convexus, niger nitidus, subtiliter sed confertius punctatus, subtus seladonico squamosus. *Scutellum* parvum, triangulare, nigrum. *Elytra* thorace manifeste latiora, illoque fere triplo longiora, humeris rotundata, apice angustata, valde convexa, dorso posterius subcarinata, nigra, nitida, viridi ornata, totus videlicet margo lateralis, vitta subapicalis abbreviata, punctaque in singulo 11 vel 12, (ordine 1, 3, 6, præter scutellarem communem, impressam,) e squamulis viride-seladonicis, nitidissimis. *Corpus* subtus subplanum, nigrum, nitidum, præsertim ad latera seladonicum. *Pedes* mutici, nigri, femoribus seladonico annulatis, tibiis subrectis, pallide pubescentibus, anticis etiam apice muticis.

90. Curculio Thunbergii.

C. crassirostris, viridis, quamulosus, pedibus muticis concoloribus; lineis thoracis 4 albis, elytrorum novem.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich, Mus. Reg. Ac. Sc. Holm.

Longit. lin. 4 vel 5. — Forma a præcedentium aliena; rostrum apice magis incrassatum, et thorax basi angustior; habitu magis accedens ad C. lacteum Fabr. *Corpus* squamulis tectum minutissimis, læte viridibus, nitidulis. — *Antennarum* scapus virescens, flagellum fuscum, clava oblonga, triarticulata. *Caput* longitudine thoracis, rostro subangulato, apice incrassato, emarginato; viride-squamulosum, oculorum orbitis pallidis; in vertice lineola brevis impressa. Canalicula antennalis ocularis. *Oculi* oblongi, prominuli. *Thorax* quam latus longior, basi subsinuatus, apice truncatus, lobis nullis; lateribus rotundatus,

supra modice convexus, viridis, punctis nigris impressis adspersus, margine basali lineisque 4 longitudinalibus albis. *Scutellum* oblongum, album. *Elytra* thorace multo latiora, et illo fere triplo longiora, humeris obliquata, apice angustata, supra valde convexa, regulariter et concinne punctato-striata, viride squamulosa, lineis 9 albis, elevatioribus, continuis, quarum extima in ipso margine, secunda gemina, media suturalis communis. *Corpus* subtus viride squamosum, pedibus concoloribus; tibiæ anticæ arcuatæ, angulo interiore dente armatæ. *Alæ* fuscæ.

91. Rhynchaenus herculeanus.

Rh. cryptorhynchus; ovalis, albidus, nigro granulosus, thoracis fascia lata semicirculari, elytrorum plaga scutellari, fascia media maculaque anali griseo lutescentibus.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich, Mus. Reg. Ac. Scient. Holm.

Longitudo 1 poll. 2 lin.; latitudo thoracis 5 lin., elytrorum baseos $6\frac{1}{2}$ lin. — Maximus Rhynchænus mihi visus. Corpus crassum, muticum, undique squamulis pallidis vestitum, supra tuberculis vel granulis nudis conspersus. — *Caput* parvum, inflexum, albidum; rostrum nigrum, glabrum, basi teres, apice deplanatum, pectori applicatum, pedum intermediorum basin attingens. *Antennæ* nigræ, clava pallida, versus rostri basin insertæ, articulus basalis clavatus, oculum minime attingens; secundus longus, subclavatus, 3—8 sensim decrescentes, 9, 10, 11, connati, clavam breviter ovatam, albam, formantes. *Oculi* ovales, aliquantum approximati, haud prominuli. *Thorax* quam longus latior, fere semicircularis, apice solo aliquantum prominulo, rotundato, basi subtruncatus, lobo scutellari sinuato, angulis posticis acutiusculis; supra antice convexus, muticus, subtus et in disco dorsali albidus, fascia vero griseo-lutescenti latera et partem thoracis anteriorem semicirculariter amplectente. In medio dorsi carinula brevis obsoleta, præterea undique tuberculi nigri, sparsi. *Scutellum* parvum nigrum, tuberculiforme. *Elytra* thorace manifeste latiora, quam lata duplo longiora, basi truncata, humeris parum prominulis, rotundatis, apice modice rotundata, lateribus medio paullulum sinuata, valde convexa, albido et griseo-flavo fasciata, videlicet: sub scutello plaga grisea subtrapeziformis, deinde fascia alba ad humeros recurrens, tum fascia luteo-grisea marginem axillarem quoque occupans, jam iterum fascia transversa albida, et tandem versus apicem macula lutescens irregularis. Elytra obsolete striata, interstitiis tuberculis nigris, seriatis, ceterum irregularibus, obsitis. *Pygidium* parvum, rotundatum, convexum, ab elytris haud tectum. Corpus *subtus* nigrum, albo squamulosum, pedibus brevibus, concoloribus. *Femora* anteriora dente valido, postica obsoletiore, armata; tarsorum spongiæ lutescentes. *Alæ* griseo-fuscæ.

92. Rhynchaenus pardalis.

Rh. femoribus dentatis, corpore cylindrico, thorace dilatato subgloboso: — ater, maculis singulorum elytrorum tribus magnis aurantiacis; pedibus anticis elongatis.

Hab. in Brasilia frequens.

Pulchra species, magnitudine Rh. arctici. — Rostrum inflexum, longitudine fere thoracis, subcylindricum, parum arcuatum, basi depressum, atrum, scabriusculum. *Antennæ*

post rostri apicem insertæ, nigræ; articulus primus longus, tenuis, apice incrassatus, 2 et 3 fere obconici, 4 — 8 breves subcontracti; reliqui clavam conico-acuminatam formantes. *Caput* retractum, æquale, nigro-fuscum, pilis ferrugineis immixis. *Oculi* parvi distantes, rotundati, parum prominuli. *Thorax* magnus, transversus, gibbosus, elytris manifeste latior, immarginatus, basi truncatus, lateribus rotundatus, in ipso apice coarctatus; totus niger, opacus, confertissime granuloso-scabrosus, carinula apicis dorsalis sat distincta acutaque. *Scutellum* oblongum, fuscum. *Elytra* thorace angustiora, illoque plus duplo longiora, valde convexa, utrinque deflexa abdominis latera amplectentia, apice obtusa; atrosericea, opaca, maculis rotundatis, in singulo tribus, aurantiacis, magnis; prima laterali pone humerum, secunda in medio discoidali, tertia totum apicem occupante. Investimento detrito elytra scabra et rude striata apparent. Corpus *subtus* pilis flavidis obsitum. *Pedes* nigri, pilis testaceis parcius vestiti; antici elongati, tibiis nonnihil curvatis; femora omnia denticulo mediocri armata.

93. Brenthus signatus.

Br. niger, angustatus, capite thoraceque elongatis lævissimis, muticis, collo angustato; elytris punctato-striatis, versus suturam et marginem lineolis flavis abbreviatis.

Hab. — — Mus. Dom. Paykull.

Longit. insecti $6\frac{1}{2}$ lin.; caput cum rostro ultra 2 lin.; thorax vix 2; elytra $2\frac{1}{2}$. — Valde gracilis, politus. *Caput* cum rostro thorace paullo longius, basi angustius, antice attenuatum, teretiusculum, nigrum, nitidum, impunctatum. *Rostrum* apice paullo dilatatum, mandibulis parvis; inter antennarum insertiones et os sulculus tenuis dorsalis. *Antennæ* longitudine capitis cum rostro, nigræ, moniliformes, articulo apicali ovato-acuminato, insertæ rostro, in medio inter oculos et os. *Oculi* parvi, albidi, non prominentes. *Thorax* ovato-conicus, prima basi constrictus, niger, nitidus, lævissimus. *Elytra* thorace haud latiora, sed aliquantum longiora, apice truncata, dorso depressa, ad suturam striata, extus punctato-striata, nigra, nitida, lineolis flavis, hoc ordine: — inter striam 2 et 3 a sutura lineola brevis, basalis, alia post medium, tertia apicalis longior; inter strias 3 et 4 ante medium lineola longior, post medium alia brevior, et punctum ante apicem; inter strias 7 et 8 lineola versus medium elytri, et tandem inter strias 8 et 9 lineola apicalis, ejusdem coloris. *Corpus* subtus nigrum, nitidum, impunctatum. *Pedes* breviusculi, corpori concolores, femoribus modice clavatis, ante apicem subtus emarginatis, et ante emarginaturam omnibus denticulo distincto armatis.

Orthoptera.

94. Tettix bispinosa.

T. fusco-ferruginea, thorace utrinque unispinoso, scutello abdomine duplo longiore.

(Acrydium bispinosum Act. Holm. anni 1818. 1, p. 77. 1.)

Hab. in India orientali?

Habitu omnino T. subulatæ Latr. (*Acryd. subulati* Fabr.) sed major, longit. lin. 8. — *Antennæ* fusco-ferrugineæ. *Caput* pallidum, inter antennas carinula duplici. *Os* nigrum, palpis albis. *Thorax* fusco-ferrugineus, subtilissime granulosus, supra planus, carinula dorsali, parum distincta, lateribus utrinque armatus spina valida, acuta, ferruginea,

apice nigra; — posterius productus in spinam scutellarem, corpore fere duplo longiorem, vix carinatam. *Alæ* nigricantes, thoracis apicem adæquantes. *Pectus* fusco-maculatum; *abdomen* nigro-fuscum, albo punctatum. *Pedes* forma ut in congeneribus, fusco-ferruginei, femoribus supra albo maculatis, tarsis albis, nigro annulatis.

95. Blatta tuberculata.

Bl. ovata, supra alba, disco thoracis tuberculati elytrorumque maculis 8 nigris; corpore pedibusque nigris, antennis annulo albo.

Hab. in Brasilia, Dom. Froelich, Mus. Reg. Ac. Scient. Holm.

Longit. lin. 11; latit. lin. fere 7. — *Antennæ* thorace manifeste longiores, articulis brevibus, nodiformibus, nigræ, annulo ante apicem albo. *Caput* nigrum; ore, genis, punctoque ante oculos albidis. *Thorax* suborbicularis, punctatus, flavo-albidus, macula discoidali nigra, didyma, rugosa, cum tuberculis duobus magnis, lævibus, anterioribus. *Elytra* thorace duplo longiora, basi punctata, medio striata, apice sublævia, alba, maculis in singulo quatuor nigris, duabus basalibus inæqualibus, antice connexis, reliquis post elytri medium, orbiculatis. *Corpus* subtus nigrum vel nigro-piceum, segmentorum et pectoris et abdominis margine laterali albo; ad pedum insertionem punctum pallidum. *Styli* anales brevissimi. *Pedes* breves, validi, corpori concolores, tibiis irregulariter spinosis, tarsis subtus albis.

96. Blatta lineolata.

B. oblonga, angustata, corpore pedibusque pallide testaceis; thorace transverso, albido, nigro-reticulato; elytris brunneis albo-striatis.

Hab. — in Americæ insulis? Mus. Dom. Paykull.

Longit. lin. 6. — Habitus angustatus Bl. oblongatæ Fabr. De Geer, sed thorace breviore, transverso. — *Antennæ* longitudine corporis, setaceæ, simplices, nigræ, articulo basali flavescente. *Caput* prominulum, pallide-testaceum, ore oculisque concoloribus. *Thorax* quam longus multo latior, transverse ovalis, lævis, nitidus, flavescenti-albidus, subpellucidus, disco notatus litura composita nigra, medio fere simulante litteram M adjecta utrinque littera H. *Elytra* elongata, angustata, brunnea, lineolis pluribus albis concinne striata; lineolis dorsalibus suturam versus vergentibus, reliquis lateralibus, marginem vix vero elytri medium attingentibus; præterea punctum album in medio elytri. *Alæ* fusco-hyalinæ. *Corpus* pallide testaceum, segmentis ventralibus ad latera brunneo-maculatis. *Styli* anales inconspicui. *Pedes* pallide testacei, immaculati.

97. Blatta cassidea.

B. obovata nigra, thorace albo, macula discoidali nigra; elytris basi dilatatis, vitta laterali ferruginea.

Hab. in Brasilia, Dom. Westin, Mus. Reg. Ac. Sc. Holm.

Longit. lin. 10; lat. elytr. lin. 6. — Habitu ab hoc genere alieno, primo intuitu Cassidam vel Lampyridem fere mentiente. Accedere videtur ad Bl. pictam Fabr. Drury, sed illius thorax obscurus, margine tantum antico pallido. — *Antennæ* longitudine dimidii corporis, nigræ, setaceæ, simplices. *Caput* nigrum, ore concolore, oculis pallidis. *Thorax* transversus, antice rotundatus postice subangulatus, albidus, subpellucens, macula disci

posterioris nigra, quadrata; vix punctulatus, nisi obsoletissime. *Elytra* thorace manifeste latiora, ante medium dilatata, apice valde angustata, dorso valde convexa, lævia, subtilissime punctata et substriata, nigro-spadicea, vitta humerali rufo-ferruginea, elytrorum apicem vix attingente. *Alæ* elytris paullo breviores, obscuræ. *Corpus* subtus nigrum, immaculatum, pedibus concoloribus. *Styli* anales brevissimi, acuminati.

Hemiptera.

98. Aradus flavicornis.

A. niger, opacus, pedibus piceis, antennis brevibus flavis; thoracis margine inermi.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

Magnitudo et forma Ar. lugubris Fall., sed vere distinctus antennis brevioribus flavis. Thoracis margo subtiliter crenulatus ut in *A. lugubri;* caput et thorax immaculata, forma atque carinulis omnino ut in illo. *Elytra* nigro cinereoque varia, membrana albida, vix nisi obsoletissime maculata; abdomine breviora. *Pedes* picei.

Neuroptera.

99. Myrmeleon Tigris. *)

M. alis omnibus punctis maculisque majoribus interruptis fuscis, margine tenuiore fusco impunctato; pedibus luteis, tarsis nigris.

Hab. in Sierra Leona, Dom. Afzelius, Mus. Dom. Schoenherr.

---

*) Sub Myrm. libelluloïdis nomine apud Auctores videntur commixtæ tres species, quas sequenti modo distinguere tentabimus:

1. Myrmeleon Gigas: corpore pedibusque fusco-brunneis (?) thorace griseo, linea nigra; alarum maculis fuscis, plurimis confluentibus.
* Myrm. libelluloides, Var. Drury III, Tab. XLI.
Hab. in Sierra Leona, Dom. Drury.
Statura omnino M. libelluloidis, sed duplo major, expans. alarum poll. 6½ Paris. ideoque maximum Gymnopteron nobis notum. Differt præterea alarum punctis minutis quam in M. libelluloide multo paucioribus, fascias ad marginem interiorem usque productas efficientibus; alæ posticæ macula magna transversa in medio; aliaque maxima ante apicem, subcruciformi. — Hæc omnia secundum figuram Druryi, insectum ipsi non vidimus.

2. Myrmeleon libelluloïdes: alis anticis margineque posticarum fusco-punctatis, maculisque disci majoribus, atque capitis lutei macula verticis, nigris; pedibus luteis tarsis nigris.
* Drury I, Tab. 46, f. 1. (♂.)
* Rossi Faun. Etrusc. II, p. 14, n. 689.
* Latr. Gen. Crust. et Ins. IV.
* Pentagna Spec. Ins. p. 30, n. 149?
Hab. in Italia, DD. Durazo et Dejean, Mus. Dom. Schoenherr; — veri nobis videtur simile hanc speciem varias regiones Europæ australis et Africæ borealis inhabitare.
Obs. Linné, Fabricius, De Geer et auctores plurimi hanc speciem cum sequente conjunxerunt.

Alæ

Magnitudo M. libelluloïdis, alæ vero forma qua in *M. Leopardo*, i. e. quam in M. libelluloide angustiores et magis lanceolatæ. Ab illa specie diversus videtur alarum margine æqualiter fusco, impunctato, et anticarum punctis paucis, fere in strias digestis. *Caput* flavum inter antennas late nigrum, punctoque verticis ejusdem coloris. *Pedes* lutei tarsis atris.

100. MYRMELEON Hyæna.

M. corpore nigro, luteo maculato; collari flavo, lateribus medioque nigris; alis fusco nebulosis et irroratis, posticarum striga ante marginem interiorem obscuriore.

Hab. in Sierra Leona, Dom. AFZELIUS, Mus. Dom. SCHOENHERR.

Alæ quam in M. libelluloïde longiores, sed multo angustiores et magis acuminatæ. — *Caput* flavum, fascia inter oculos nigra, vertice fusco-punctato, antennis ore palpisque nigris. *Collare* flavum, margine laterali vittaque media nigris. *Thorax* nigro-fuscus, luteo punctatus. *Abdomen* nigrum. *Pedes* crassi, nigri, immaculati. *Alæ* re vera albidæ, sed punctis fuscis confertis adspersæ et nervis fusco alboque variegatis reticulatæ, costis nebulisque nonnullis distinctioribus, ut totæ fusco nebulosæ appareant. Versus apicem strigæ duæ obscuriores, altera costali, altera in medio, et præterea striga fusca paullo intra totum marginem interiorem.

101. MYRMELEON Gulo.

M. niger, fronte et ventre pallidis, alis fuscescentibus; nigro nervosis et strigosis.

Hab. in Sierra Leona, Dom. AFZELIUS, Mus. Dom. SCHOENHERR.

Alæ quam in M. Leopardo latiores, punctis minus confertis, maculisque posticarum distinctis, fascias haud efficientibus. Caput flavum, macula inter antennas aliaque verticis nigro-fuscis. Palpi capite longiores, nigri, nitidi, immaculati. Pedes lutei, spinulis tarsisque nigris.

3. Myrmeleon Leopardus: alis anticis undique, posticis in margine, conferte fusco punctatis, maculisque disci majoribus; pedibus nigris immaculatis.

* M. libelluloides SULZER Tab. XXV, fig. 3. Sicilia vero patria dicitur, an recte?

* M. maculatum DE GEER III, p. 565, 2. Tab. 27, fig. 9. (exclus. Synonymis,) — ex autopsia specim. origin. Mus. DE GEER.

Hab. ad Promont. bon. Spei, Mus. Dom. SCHOENHERR; — Mus. Dom. PAYKULL; Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Alæ quam in *M. libelluloide* angustiores, anticarum costa magis flavescente; posticæ fasciis nigris. — Caput nigrum, ore flavo. Palpi breviores, nigri, geniculis flavis. Pedes aterrimi, immaculati.

Myrmeleontem speciosum LINNEI tantum pro Synonymo Myrm. libelluloïdis habendum esse, et solummodo ex figura erronea ROESELII originem trahere, cum plurimis Auctoribus arbitramur, etsi addubitatur a Cl. LATREILLIO. — Observare enim licet, M. speciosum desiderari in LINNEI Syst. Nat. Editione X, ubi Myrmeleontis genus non erat distinctum a ceteris Hemerobiis; postea vero, cum species antennis clavatis sub proprio illo genere collocasset immort. Vir, figuram ROESELII, ob antennas setaceas, ad *Hemerobium* quendam verum spectare forte ei videbatur. Similis error invenitur in ROESELII figuris sistentibus Truxalidem, (Tom. II, Gryll. Tab. 4.); videlicet loco antennarum in specimine deficientium pictæ sunt antennæ simplicissimæ formæ.

Magnitudo M. pisani Rossi, Panz. — *Antennæ* nigræ. *Caput* nigrum, ore palpisque luteis, fronte pallide villosa. *Collare* flavescens, nigro maculatum et pilosum. *Thorax* supra nigro-fuscus, immaculatus, subtus pallidior. *Abdomen* supra nigrum, maculis paucis luteis; subtus albidum. *Pedes* nigri, immaculati. *Alæ* nervis nigris confertim reticulatæ, stigmate costali fusco; præterea ante alæ medium nervi obliqui 3 vel 4 infuscati, strigas æmulantes, et ante apicem punctum fuscum medium. Alæ posticæ pallidiores, immaculatæ.

Hymenoptera.

102. Cleptes fasciata.

Cl. ferruginea, pedibus concoloribus; capite antennis et metathoracis dorso nigris; abdomine nigro, pallide maculato; alarum fasciis duabus nigricantibus. ♀.

Hab. in Brasilia, Dom. Freyreis, Mus. Reg. Ac. Scient. Holm.

Longit. lin. 3 vel 4. — Habitus Cl. semiauratæ, sed collari magis quadrato, metathorace distincte spinoso, colore opaco. — *Antennarum* scapus linearis, niger, apice rufescens; flagellum nigrum, basi ferrugineum. *Caput* latitudine thoracis, punctato-scabrum, nigrum, ore concolore, fronte subquadrata, subplana, canalicula longitudinali obsoleta. *Oculi* magni, obovati, prominuli. *Ocelli* pallidi. *Thorax* ferrugineus, opacus, scabriusculus, pubescens, collari angustiore, subquadrato. *Metathorax* pallide rufo-testaceus, utrinque spina valida pallida armatus, macula subscutellari magna, nigra, cancellata, — maculaque laterali ejusdem coloris. *Abdomen* thorace manifeste brevius, obovatum, nigrum, nitidum, tota basi punctisque duobus lateralibus pallide testaceis; oviductus rufescens. *Pedes* ferruginei, tarsis apice fuscis, forma ordinaria hujus generis omnino. *Alæ* lutescentes; *anticæ* fasciis duabus nigricantibus, quarum altera prope basin, post alæ medium altera, distinctior atque latior, et costam et marginem interiorem attingens; — *posticæ* immaculatæ. Alarum nervi fusci, directione ut in Cl. semiaurata omnino, sed areolis discoidalibus obsoletioribus.

103. Scolia leonina.

S. nigra, fulvo hirsuta, abdomine fasciis subquatuor flavis dentatis. ♀.

Hab. — — Mus. Dom. Paykull.

Longit. 13 lin. — Magnitudo et habitus fere Sc. hortorum. — *Antennæ* brevissimæ, crassiusculæ, nigræ. *Caput* nigrum, punctatum, ore concolore, fronte et vertice fulvo-hirtis. *Oculi* oblongi, pallidi. *Thorax* niger, profunde punctatus, undique fulvo-hirtus. *Abdomen* crassiusculum, basi et segmentorum marginibus flavo ciliatis; segmenta 1, 2, 3 supra flava, macula basali magna, nigra, tridentata; segmenta apicalia nigra, ciliis flavis fasciam fere efficientibus; apex integer; venter niger, nitidus, pallide ciliatus. *Pedes* breves, validi, nigri, dense fulvo hirti. *Alæ* hyalinæ, lutescentes, nervis ut in S. aurata ♀, (*Sc. ciliata* Fabr.), videlicet areolis costalibus tribus, subcostalibus duabus, discoidalibus tribus, quarum exterior transversa, angustata.

104. Scolia erythrogaster.

S. nigra, fulvo hirsuta, antennis pedibus abdomineque saturate ferrugineis. ♀.

Hab. in insula Madagascar, Mus. Dom. Paykull.

Longit. pollicis. — *Antennæ* breves, rufo-brunneæ. *Caput* nigrum, antice parce punctatum, vertice lævi, fronte fulvo hirsuta, clypeo mandibulisque rufescentibus. *Thorax* niger, fulvo pilosus, segmenti anterioris margine ferrugineo; subtus albido pubescens. *Abdomen* crassiusculum, utrinque rufo-brunneum, segmentorum marginibus apice pallide ciliatis; segmentum primum supra ad basin nigrum, ultimum integrum, fulvo hirtum. *Pedes* validi, rufo-brunnei, pilis pallidis fulvisque vestiti, coxis posterioribus nigris. *Alæ* lutescentes, apice fuscescentes, nervorum areolis ut in *Scol.* aurata, leonina et affinibus.

Diptera.

105. Tephritis Argus.

T. pallide ferruginea, testaceo pubescens, pedibus testaceis nigro punctatis; alis luteis, maculis marginalibus, punctisque disci subocellatis, albis. ♂.

Hab. in Hispania? Mus. Dom. de Paykull.

Longitudo corporis 3 lin. Expansio alarum $6\frac{1}{2}$ lin. — Species hujus generis distinctissima et pulcherrima mihi visa. — *Caput* mediocre, pallide testaceum, vertice latiusculo setis pluribus albis, setisque longioribus nigris prope oculos, munito; frons impressa, lævissima, certo situ cyaneo nitens; os emarginatum apertura ampla, palpis concoloribus pallide nigroque pilosis. Ad latera oris utrinque punctum nigrum, et alterum ante oculos. *Antennæ* testaceæ, articulis basalibus brevibus nigro pilosulis, apicali elongato oblique conico, seta capillari nigra, nuda, antennis manifeste longiore. *Oculi* majusculi, ovati, obscuri. *Thorax* ferrugineus et pallide-testaceo pubescens, pilis lateralibus albis, setisque dorsalibus nigris reflexis; dorso vix nisi obsoletissime lineatus, subtus pallidus. *Scutellum* testaceum, punctis 4 nigris notatum, setulisque ferrugineis vestitum. *Abdomen* ferrugineum, testaceo pubescens, certo situ fusco maculatum apparet; anus corniculis spiniformibus testaceis, incurvatis. *Pedes* simplices, forma in hoc genere ordinaria, pallide testacei; femora omnia punctis duobus nigris notata, anteriora subtus pilis paucis munita, postica glabra; tibiæ intermediæ apice vix nisi spinulis 1 vel 2 armatæ; tarsorum articulus basalis reliquis multo longior, ut in affinibus. *Alæ* nervorum directione omnino ut in congeneribus, disco luteo-testaceæ, ad costam vero et marginem apicalem maculis triangularibus albis, nigro cinctis et confertissimis, eleganter circumdatæ. Margo posticus infuscatus alboque guttatus; in disco alarum puncta nonnulla remotiora, alba, nigro cincta, inde ocellaria; inter nervos 3 et 4 punctum crassum nigrum. Nervi lutescentes; costa subtiliter ciliata, ad apicem nervi auxiliaris setulis duabus nigris armata.

INSECTORUM SVECIÆ
Novæ Species insigniores.

1. Bombyx phantoma.

B. (Pania *) alis nigricantibus immaculatis; corpore albo, supra nigro-punctato; abdominis dorso nigro, segmentis margine albis. ♀.

Hab. in Lapponia et Svecia boreali, Mus. Dom. de Paykull, et Mus. propr.

Expansio alarum poll. 3 Paris.; longit. corporis pollicis cum linea. — Habitus omnino B. vinulæ, cui valde affinis, et speciminibus ejus maximis magnitudine par. — *Antennæ* pectinatæ, nigræ, rachi supra ad basin nigricante. *Caput* albo-lanuginosum, ore palpisque nigricantibus. *Thorax* supra albus, maculis punctisque nigris. *Abdomen* supra nigrum, segmentorum marginibus tantum ad latera albis. *Corpus* totum subtus album; abdomen serie laterali punctorum fuscorum. *Pedes* nigri, albo-pilosi, tarsis atris, unicoloribus, minime (ut in B. vinula) annulatis. — *Alæ* forma et nervis omnino ut in B. vinula; omnes supra obscure fuscæ vel nigricantes, strigis punctisque nullis, saltem haud manifestis; subtus concolores, paullo pallidiores, posticarum margine costali ciliisque albis. — *Ova* rufescentia.

Larva ignota.

Obs. Tria vidimus specimina, similia, feminea. A B. vinula esse vere distinctam speciem non dubitamus, præsertim cum inter centena B. vinulæ exemplaria nullam observaverimus varietatem nigricantem, nec ab auctoribus talem invenerimus memoratam. Differentiæ quibus discrepat a B. vinula certe non minoris sunt momenti, quam quibus distingvuntur B. erminea, bifida, bicuspis atque aliæ hujus generis species, certe valde affines, etsi re vera diversæ.

Ob analogiam cum B. vinula, cujus larva Salice pascitur, veri non absimile nobis videtur larvam B. phantomatis habitare in Salicis quadam specie ex numerosis illis, quæ tantum Lapponiæ sunt propriæ. Inde optandum foret, ut vellent attendere illarum regionum perigrinatores ad larvas quæ ibi occurrerint forma ista singulari B. vinulæ.

2. Bombyx Thulea.

B. (Arctia) corpore nigro, collari anoque flavidis, pedibus rubro annulatis; alis anticis nigris, fasciis macularibus albis, interioribus interruptis, posticis rubris basi fasciaque intramarginali inæquali nigris.

Specimen unicum lectum ad *Enontekis* Lapponiæ, Mus. Dom. de Paykull.

*) Bombycum genus, sub quo militant hæc species et affines, a cl. Dom. Ochsenheimer Harpyja nominatum est. Etsi clarissimi Auctoris nomina Lepidopterorum nocturnorum generica fere omnia libentissime adoptemus, hoc tamen est inter pauca, quæ mutanda esse censemus, cum jam olim et majore quodammodo jure Cl. Illiger Vespertilionum genus Harpyjam appellaverit. Nec placet Ceruræ denominatio, cum non sit nisi conversio nominis "Uroceri," *Siricum* generis Latr. Itaque Bombycum huic generi Paniæ nomen proposuimus, a *Pan*, ob larvarum faciem horridulam, hoc minus longe petitum, quod jam olim speciem quandam hujus generis "terrificam" salutaverunt auctores.

Bomb. alpina Acerbi, Iter. Svec. Tom. II, p. 253. 4. Tab. 1, fig. 4, huc spectare videtur, sed figura mala, abdomine nimis angusto, et alarum signaturis parum accuratis.

Ad Arctiæ genus certe pertinet, non ad Callimorphæ, species optime distincta, magnitudine et facie Bomb. gratiosæ Hübn. (Eupr. fasciatæ Ochsenh.)

Longit. corporis 8 lin. Paris. — Expans. alarum 2 poll. — *Antennæ* desunt. — *Caput* nigrum immaculatum, palpis prominulis hirsutis, concoloribus. *Thorax* supra niger; collare maculis duabus magnis albis, tegulis albis apice nigris. (Annulus collaris ruber, qualem habent B. fasciata, Hebe, Caja &c., in hac specie omnino deest). Pectus modice hirsutum, nigrum, ad pedum insertiones pilis rubris immixtis. *Abdomen* cylindricum, supra subtusque nigrum, ano lutescente, lateribus omnino immaculatis. *Pedes* non nisi parum hirsuti, (fere ut in B. Hebe et fasciata,) nigri, tibiis omnibus apice geniculisque pallide rubris; tarsi nigri, antici annulo subbasali rubro, posteriores subimmaculati.

Alæ anticæ supra nigræ, fasciis 5 albis, e maculis parvis connatis, rotundatis l. subcordatis; hae fasciæ paullulum arcuatæ, extima sola in medio angulum facit internum; margo exterior vel apicalis niger. — *Alæ posticæ* ad medium usque et margine interiore nigræ, exteriore parte rubræ, lunula centrali, fasciaque intramarginali continua sed inæquali nigris; hæc fascia ad angulum analem cum nigredine disci confluens; — margo fere totus ruber, tantum lineola in medio, anguloqne anali nigris.

Pagina inferiore alæ anticæ lutescentes, margine costali rubro, basi inferiore et maculis 2 in medio, fasciaque intramarginali interrupta, nigris; margine toto lutescente. — Alæ posticæ rubro-lutescentes, signaturis ut in pagina superiore, modo ad marginem costalem sat late rubræ, unde nigredo baseos angustior evadit, ita ut alæ majore jure dici possint luteæ nigro fasciatæ.

Obs. Ob insignem modum quo variare solent colore species hujus generis solicitissime cum congeneribus comparavi, eoque certius mihi persuasum est vere distinctam esse et peculiarem speciem. Ab omnibus jam differt abdomine nigro, tibiisque apice rubris, lobis collaribus anticis fere totis albis, atque alis posticis margine interiore nigro. Per magnitudinem et alas quam maxime fasciatas ad B. fasciatam Ochsenh. accedere videtur magis quam ad ullam aliam speciem; sed distat omnino notis supra recensitis, fasciisque albis nec rivulosis nec continuis, sed e maculis parvis compositis. — Locus in Systemate forte inter A. Hebem et A. fasciatam.

3. Rhysodes exaratus.

Rh. rufo-castaneus, nitidus, capite sculpturato; thorace sulcis tribus magnis, lateralibus antice abbreviatis; elytris sulcatis, punctato-striatis.

Rhysodes (l. *Ryssodes*) *exaratus* Illig., Gyllenh., Sturm et plur. Auct., sed nusquam descriptus, quantum mihi innotuit.

Ad Wärnanäs Blekingiæ, iu ligno putrido Abietis plura specimina legit Cl. de Paykull. — (Idem insectum e Tauria misit Dom. Steven; in Alpibus Croaticis habitare testatur Dom. Dejean; et ut Americæ borealis incolam — an recte? — communicavit Dom. Sturm.)

Certe peculiare genus, nec facile in ulla familia nota Pentamerorum ponendum. Os durum, et adeo occultatum, ut ejus partes in exsiccatis vix enucleandæ. Insectum primo

intuitu habitum fere profert Colydii vel Lycti, sed tarsorum numerus et antennarum forma nimis distant.

Corpus durum, elongatum, sublineare, antice paullo angustius, teretiusculum, glaberrimum, capite thoraceque eximio modo sculpturatis, collo valde constricto; pedes brevissimi, tarsis omnibus evidenter quinque-articulatis; antennæ exacte moniliformes.

Longit. lin 3 vel 4. Corpus totum rufo-castaneum, nitidum, immaculatum. — *Antennæ* longitudine capitis cum thorace, moniliformes, extrorsum pubescentes, articulis 11 exacte globosis, æqualibus, nitidis, articulo basali majore, apicali ovato-acuminato. *Caput* parvum, fere obcordatum, stragulo admodum constricto a collo distinctum, tenuiter marginatum, glabrum, nitidum, inæquale; plica longitudinalis antice quadrifida, basin capitis attingens, anguli postici juxta oculos callosi, flexuosi. *Oculi* semicirculares, prominuli, glauci. *Caput* subtus planum, mente punctato, flavo-pubescente, antice sinuato, lobo medio acuto. *Os* mandibulis brevibus palpisque retractis, occultatis. (*Palpi* flavescentes, articulo apicali elliptico, nudo.) *Collum* capite multo angustius, et stragulo ita ab illo distinctum, ut potius thoracis esse pars videatur, lævissimum, nitidum. *Thorax* capite latior, quam latus manifeste longior, fere obovatus, basi vero angustiore truncata et elytris arcte applicata; lateribus rotundatus et distincte marginatus; supra modice convexus, profunde exaratus, videlicet: sulcus medius dorsalis, linearis, thoracis apicem fere attingens; sulci laterales basi dilatati, latissimi, antrorsum angustati, ultra thoracis medium in puncta impressa desinentes; præterea linea tenuior impressa ipsum marginem lateralem legens, prope marginem anticum nonnihil continuata; interstitia inter hos sulcos quatuor, lævissima, convexa, posterius acuminata, plicas quasi formantia; sulcorum fundus punctatus. *Scutellum* inconspicuum. *Elytra* thorace manifeste latiora, illoque plus duplo longiora, linearia, basi emarginata, apice rotundata, lateribus deflexa, marginata, supra convexa; in singulo striæ octo impressæ, regulariter et profunde punctatæ, suturales ad apicem usque continuæ, intermediæ ante apicem a ruga obliqua cum striola punctata interruptæ; interstitia angusta, convexa, lævissima, impunctata. *Corpus* subtus glabrum, nitidum, evidenter parce punctatum, pectore sternoque muticis. *Thorax* subtus convexus, regione inter pedes anticos plana, subimpressa; pectus medio impressum; abdomen longitudine elytrorum, segmentis 5, anali rotundato. *Pedes* breves, corpori concolores, nitidi, impunctati, postici ad insertionem valde remoti; femora crassiuscula, postica abdominis segmentum quartum vix attingentia; tibiæ femoribus vix longiores, subrectæ, apice paullo crassiores, spinisque duabus apicalibus; *Tarsi* tibiarum longitudine, teretiusculi, subtus subpilosi, nec soleati, articulis 5 distinctis, quorum interiores 4 æquales, quintus paullo longior, biunguiculatus. *Alæ* pallidæ.

4. Tetyra humeralis.

T. supra nigra, scutelli macula humerali pallida, triangulari; capite subquadrato antice truncato; subtus livida nigro irrorata, antennis pedibusque concoloribus.

Hab. in Hallandia, Dom. Osbeck, Mus. Dom. de Paykull. — Specimen unicum.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin. Paris. lat. $1\frac{1}{2}$ lin. — Eximia inter Hemiptera Sveciæ species, magnitudine *T. fuliginosæ*, sed partium forma omnino aliena, jam thoracis lateribus sinuatis a Svecanis reliquis distans. — Inter quadraginta species hujus generis quas comparavi, nul-

lam aliam inveni capite quadrato et truncato; si enim *T. bispinosam* excipias reliquarum plus minus acuminatum, aut rotundatum vel obtusum observatur.

Specimen femineum. Corpus glabrum non nisi subtilissime pubescens. *Caput* (oculis exceptis) quadratum, quam latum paullo longius, lateribus rectum, antice truncatum angulis parum rotundatis, nigrum, confertissime punctulatum, supra paullo convexum, carinula frontali elevata ad apicem usque producta, et eo magis conspicua quod caput ad ejus latera subimpressum. *Antennæ* in nostro specimine ad capitis basin sub pectoris apicem ita deflexæ, ut basis earum omnino occulatur; articuli nigri, geniculis pallidis, apicalis paullo crassior, totus niger, abdominis basin fere attingens. — *Oculi* majusculi, valde prominuli, nigri, orbita flava. — *Thorax* quam longus duplo latior, antice posticeque angustatus et truncatus, in medio dilatatus, subangulatus, lateribus anterioribus sinuatis, cum angulis anticis subrectis, posticis rotundatis; supra parum convexus, punctatissimus, foveolaque laterali ante medium impressus, supra niger, nitidulus, angulis anticis et posticis, punctisque quatuor disci anterioris, pallide testaceis, obsoletis. *Scutellum* thoracis basi manifeste angustius, ante medium paullo dilatatum, apice rotundatum, abdominis margines non obtegens, supra convexum, confertissime punctulatum, punctisque elevatis nitidioribus paucis adspersum, nigrum, nitidulum, utrinque macula humerali pallide testacea, subtriangulari, apice introrsum spectante, margineque laterali testaceo punctato. — *Hemelytra* hyalina, clara, costa versus basin testacea, nigro punctata. — *Corpus* subtus sordide testaceum, punctulatum, nigroque irroratum; abdomen tumidum, margine inde a scutello non tecto obscuro, pallide maculatum. *Pedes* simplices, breviter setosi, testacei, nigro irrorati, tibiis obscurioribus, annulo medio pallido sat distincto.

5. Lyda Fallenii.

L. nigra, ore, antennarum medio, maculis thoracis marginibusque segmentorum, albidis; pedibus pallidis.

Hab. in Westrogothia rarissime.

Non nisi feminas vidi. — Magnitudo et habitus Lydæ balteatæ, sed omnino diversa. *Antennæ* tenues ut in illa, articulis duobus basalibus nigris, tertio quartoque brunneis, mediis albis, apicalibus iterum nigrofuscis. *Caput* nigrum, subscabrosum, fronte depressa, lineolisque nonnullis impressis, ut in reliquis, macula alba marginis oralis; ceterum immaculatum. Mandibulæ pallidæ, albidæ, vel lutescentes. Palpi albi. *Collare* nigrum margine toto albo. *Thorax* niger, nitidus, antice macula triangulari antrorsum spectante, punctisque duobus albis, postice punctis tribus albis. *Pectus* nigrum, strigis duabus lateralibus, obliquis, albis. *Abdomen* supra nigrum, segmentis omnibus latere albis, posterioribus margine albicante. Venter niger, lateribus albus, segmentis mediis margine quoque albis, ano nigro. *Pedes* pallide flavescentes, femoribus ultra medium nigris, coxis immaculatis, tarsis apice infuscatis. *Alæ* sordide hyalinæ, stigmate et nervis nigris, margine apicali infuscato, tegulis albis.

Var. β: thorace subimmaculato.

Simillima α, modo maculis thoracis posticis deficientibus; antice vero punctula duo alba, obsoleta adsunt.

6. Cynips Eucharioides.

C. petiolo elongato: nigra, nitidissima, ore pedibusque pallide testaceis; antennis filiformibus flavo-fuscis. — (Act. Holm. 1818. 1. pag. 78. 2.)

Specimina plura excipulo capta in sylvaticis Westrogothiæ.

Longit. 3 Millimet., itaque mediæ magnitudinis in hoc genere, sed elongata et gracilis, habitu omnino Eucharidis, alæ vero Cynipis. *Antennæ* filiformes, graciles, longitudine fere corporis, 14 articulatæ; articulus primus obconicus; secundus brevis, nodiformis; reliqui longiores, lineares, subæquales, supra fusci subtus testacei, subtilissime albo pubescentes. *Caput* transversum; frons æqualis æneo-nigra, in illæsis dense albo-sericea; mandibulæ flavæ, tridentatæ; vertex æneus, subtilissime punctatus, ocellis tribus elevatis. *Oculi* magni, globosi, nigri. *Thorax* gibbus, niger, supra lævissimus, lateribus striatus. *Scutellum* magnum, elevatum, posterius parum productum, obtusum, glabrum, lævissimum. *Metathorax* punctato-scaber. *Petiolus* longitudine $\frac{2}{3}$ thoracis, tenuis, teres, niger, nitidus, sub metathorace insertus inter coxas pedum posticorum. *Abdomen* longitudine fere thoracis, ovatum, elevatum, vix compressum, antice posticeque modice attenuatum, nigrum, nitidum. *Pedes* simplicis formæ, pallide testacei, parcius pubescentes, coxis nigris. *Alæ* hyalinæ, subtilissime ciliatæ, nervis Cynipis ordinariis, nervulo extimo transverso crassiore. Alarum tegula testacea.

Propter habitum, a genuinis Cynipibus nonnihil diversum, præsertim petiolum abdominis elongatum, Entomologis nonnullis forte videbitur proprii generis, cui nomen "Anacharis" proposuerimus.

7. Cynips nitidula.

C. brevis, nigra, nitida, antennis linearibus, ore pedibusque testaceis; abdomine subgloboso, subpetiolato.

In Westrogothia lecta.

Longit. 2 ad $2\frac{1}{2}$ Millim. — Coloribus affinis videtur *C. encharioidi*; sed petiolus non elongatus, et scutellum rugulosum. — *Antennæ* filiformes, lineares, 14 articulatæ, fusco-testaceæ, subtus pallidiores. *Caput* læve. *Scutellum* prominulum, subrugosum. *Metathorax* subtiliter cancellatus. *Abdomen* breviter ovatum, vel subglobosum, ad basin sat abrupte contractum, apice rotundatum; nigrum, nitidissimum, insertum apici prominulo metathoracis. *Pedes* flavi, immaculati, coxis nigricantibus. *Alarum* nervi flavicantes.

8. Cynips Thaumacera.

C. nigra, capite toto antennis pedibusque flavo-testaceis; antennis filiformibus, articulo tertio maximo, inflato, pyriformi.

In Westrogothia rarius mihi obvia.

Parva, habitu ordinario hujus generis. *Antennæ* flavicantes, articulus tertius dimidio capite longior, forma singulari, unde antennæ non absimiles generis Thaumacerae Thunb. (Act. Holm. 1814. Tab. IV). *Caput* flavum, striatum, vertice infuscato. *Oculi* nigri. *Corpus* nigrum, subopacum. *Scutellum* obtusum, punctato-rugosum. *Abdomen* rufopiceum.

9. Ichnevmon uranius.

I. azureus, nitidus, scutello elevato concolore; antennis pedibusque nigris, annulo flavo.

In Smo-

In Smolandia ad prædium *Anneberg* a Dom. BOHEMAN captus, versus finem mensis Septembri; ad Alingsås a Dom. PENTZ, Mus. Dom. GYLLENHAL.

Species inter Svecanas hujus generis facile elegantissima, magnitudine Ichn. edictorii, sed forma nonnihil aliena; gracilior, alis magis elongatis, antennisque longioribus et tenuioribus; præter colorem amœnum a reliquis valde distinctus forma scutelli elevati. — *Caput* azureum, nitidum, posterius angustatum, subtilissime punctulatum; frons impressa; ad oculos linea pallide flava. Margo oris, mandibulæ et palpi, flavi. *Truncus* subtilissime punctulatus, glaber, (vel tantum subtilissime pubescens,) azureus, nitidus; pectoris colore magis ac viridem vergente. *Scutellum* subcordatum, nonnihil adscendens, impressione a thorace distinctum, lateribus carinatum, apice obtuso subtruncatum. *Metathorax* cyaneus, subtiliter rugulosus, dorso cancellatus, areolis tribus, media minore, apice retusus, utrinque unituberculatus. *Petiolus* mediocris, pyriformis, arcuatus, nigro-cyaneus, plicatus. *Abdomen* nigrum, parum cyaneo micans; ad basin segmenti basalis utrinque puncta duo lutescentia obsoleta; oviductus brevissimus. *Pedes* graciles; femora omnia nigro-cyanea, anteriora puncto apicali flavo. Tibiæ anticæ flavæ, latere exteriore macula ante apicem nigra, posteriores basi flavæ apice nigræ. *Tarsi* omnes nigri. *Alæ* hyalinæ, lutescentes, immaculatæ, costa nervisque nigris, tegulis albis.

10. CRYPTUS augustus.

Cr. niger antennis annulo albo, thorace pedibusque coccineis, alis fascia apiceque nigris. ♀.

Hab. in Westrogothia, ad *Roo*, captus initio mensis Augusti.

Medius, longitudine 7 linearum (sine oviductu). — *Antennæ* longitudine fere corporis, nigræ, annulo ante apicem albo. *Caput* nigrum, immaculatum. *Thorax* coccineus, pectore nigricante. *Abdomen* petiolatum, obovatum, atrum, immaculatum, oviductu longitudine thoracis. *Pedes* rufo-sanguinei, femoribus basi, tibiis apice, tarsisque totis nigricantibus; coxarum apice puncto albo. *Alæ* hyalinæ, anteriorum fascia abbreviata ante apicem, apiceque ipso nigricantibus.

11. CRYPTUS tyrannus.

Cr. niger immaculatus, capite rubro, alis obscuris, oviductu longitudine thoracis. ♀.

In Westrogothia lectus.

Parvus, cum oviductu 4 lin. paris. longus, totus niger, subpubescens. *Caput* magnum, thorace fere latius, sanguineum, fronte tenuiter albo-pubescente. *Oculi* nigri. *Antennæ* longitudine fere corporis, tenues, nigræ, immaculatæ. *Abdomen* breve, nigrum, glaberrimum, oviductu concolore, longitudine thoracis. *Pedes* nigri, apice griseo pubescentes. *Alæ* obscuræ.

12. POMPILUS albifrons.

P. niger, fronte alba, macula nigra; abdominis segmentis 1, 2 et 3 rufo-ferrugineis.

In Westrogothia rarissime captus.

Magnitudo et statura *P. exaltati. Antennæ* nigræ. *Caput* nigrum, ore et frontis lateribus albis. *Thorax* supra snbtusque niger, immaculatus, pedibus concoloribus. *Abdominis* segmenta 1, 2 et 3 pallide rufa, reliqua nigra. *Alæ* fuscæ, immaculatæ.

13. Psocus vittatus.

Ps. corpore nigro-fusco, nitido, antennis pedibusque pallide testaceis; alis superioribus vitta lata nigricante.

Hab. in Westrogothia rarissime; a Cl. Dom. GYLLENHAL inventus.

Species in hoc genere elegans et valde distincta, magnitudine Ps. bipunctati. *Antennæ* alis multo breviores, pallide testaceæ, immaculatæ, breviter pubescentes. *Oculi* atri. *Palpi* pallide testacei. *Corporis* color variabilis videtur, vel niger vel plus minus fuscus; in exsiccatis saltem nullæ observantur signaturæ. — *Alarum superiorum* basin et discum occupat vitta latissima nigro-fusca, ad apicem usque producta, relicto margine apicali utrinque albo-hyalino, qui tamen ad stigma costale a ramulo vittæ interruptus. Stigma album apice tantum a ramulo illo obscuratum. *Alæ inferiores* dilutius fuscæ, margine apicali superiore albo-hyalino. Nervi omnes nigro-fusci. Areolæ discoidalis apicalis truncus inferior liber, nervos emittens tres, omnes ad costam; areola anguli inferioris libera, nervo unico arcuato formata. *Pedes* pallide flavo-testacei, immaculati, tarsis apice infuscatis.

14. Psocus alboguttatus.

Ps. niger, abdomine rufescente; alis nigris albo-guttatis et subocellatis.

In Westrogothia raro mihi obvius.

Magnitudinis mediæ in hoc genere. *Caput*, antennæ, thorax, pedes, tota nigra. *Abdomen* rufescens, segmentorum marginibus albo guttatis. — *Alæ* nigræ, maculis discoidalibus majoribus, albis, numero 6, puncto nigro inscriptis, vel subocellatis; — intra marginem apicalem puncta 10 minora alba, duplici serie ordinata. Alarum nervi nigri; areola subcentralis petiolata, aperta, libera, nervo superiore furcato, inferiore tri-ramoso.

15. CEROPLATUS testaceus.

C. corpore pedibusque testaceis, antennis tarsisque obscurioribus, alis sordide lutescentibus, costa inter medium et apicem infuscata. ♂. ♀.

(Act. Holm. 1819. 1, p. 88, 16.)

Hab. in Svecia meridionali rarissime; — specimina quatuor, quæ examinavi, lecta sunt in fenestris ædium, variis locis in Vestrogothia et Holmiæ.

Mas. Ceroplato *tipuloide* minor, præsertim multo angustior. *Antennæ* lanceolatæ, omnino compressæ, longitudine fere thoracis cum capite, fusco-testaceæ, fronti superiori inter oculos insertæ, articulis 15 (excepto processu articuliformi frontis ad antennarum basin); articulus primus parvus, cyathiformis; secundus major, lunatus; reliqui transversi sublunati, medio baseos subsinuato, angulis inferioribus rotundatis, superioribus acuminatis; articulus ultimus semiovatus. *Caput* parvum, deflexum, suborbiculare, testaceum, subtilissime fusco-pubescens, oculis magnis obscuris, capitis partem anticam fere totam occupantibus, relicta fronte angustissima, immersa, testacea. *Os* pallide lutescens, palpis oblongis

concoloribus. *Ocelli* tres pellucido-nitiduli, in macula verticis nigra dispositi, non in triangulum sed in lineam subrectam vel parum arcuatam. *Thorax* gibbosus, testaceo-lutescens, albo-sericeus, marginibus fusco-ciliatis, dorso lineolis longitudinalibus quatuor fuscis, obsoletis, interioribus antice divergentibus; ad latera sub alis maculæ 2 vel 3 fusco-brunneæ. *Scutellum* semicirculare, pallide testaceum. *Abdomen* thorace plus triplo longius, lineare, subcylindricum, testaceum, fusco pubescens; in ipsa basi utrinque punctum fuscum, et ad latera ventris puncta 3 vel 4 obsoletiora; anus pallidus, breviter biunguiculatus. *Pedes* gracillimi, testacei, parum pubescentes, tibiis striatis, omnibus apice unispinosis, tarsis fuscis. *Coxæ* posteriores magnæ, pallidæ, puncto fusco, medio. *Alæ* abdomine multo breviores, sordide lutescentes, nervis ordinariis fuscis; — post medium costæ vitta fusca, parum determinata, versus apicem nonnihil descendens, alæ apicem non attingens. Margo alæ interior obsolete et inæqualiter infuscatus. *Halteres* pallidi, capitulo fusco.

Femina magnitudine et coloribus mari simillima, sed abdomine crassiore, sublanceolato, depresso, fusco-testaceo, immaculato. Anus valvulis duabus brevibus; inferiore latiore, obtusa; superiore angusta, acuminata, in medio subgibbosa.

Apterogyna globularis,

Insectum ex Hymenopterorum ordine et Mutillariarum familia. — Tab. IV.

Cl. Fabricius in Entom. Syst. II, pag. 237. n. 37. insectum hoc jam descripsit sub nomine Scoliæ globularis, adjectis tamen verbis "ab hoc genere differre videtur, mihi haud rite examinata." — In Systemate Piezatorum vero omnino omisit.

In Museo ditissimo Cl. de Paykull specimen adest, quo inspecto certior sum factus profecto pertinere ad genus Apterogynæ Latreille, cujus speciem unicam, Apt. Olivierii, descripsit celeberrimus ille Auctor *). Ab illa vero differt species nostra, et colore et magnitudine, quare descriptionem ejusdem haud supervacaneam duco, adjecta instrumentorum cibariorum adumbratione.

Character genericus:

Antennæ elongatæ, filiformes, in masculis scapo brevissimo, articulis reliquis arcuatis.

Palpi filiformes, inæquales; — *labiales* breves 4-articulati; *maxillares* longiores 6-articulati.

Labrum corneum, spathuliforme.

Mandibulæ arcuatæ, edentulæ.

Alæ tantum ad basin nervosæ, areolis perpaucis.

Corpus elongatum; caput parvum; abdominis segmenta prima globosa, strangulis profunde discreta. Pedes breves mutici. — Femina aptera.

Instrumenta cibaria:

Os parvum inflexum.

Mandibulæ parvæ, arcuatæ, introrsum muticæ, apice tantum obsolete bidenticulatæ.

Labrum membranaceum, semicirculare, apice emarginatum.

Palpi inæquales, filiformes, subtilissime pubescentes; — *labiales* 4-articulati, articulis brevioribus, subæqualibus, 1 — 3 obconicis, ultimo sublineari; — *maxillares* illis duplo longiores, 6-articulati, extrorsum sensim graciliores, articulis subæqualibus, elongato-obconicis, apicali sublineari.

Labium corneum, spathuliforme, antice rotundatum, apice carnoso palpigero.

Maxillæ corneæ, subrectæ, apice membranaceo, ciliato.

---

*) Latr. Gen. Crust. et Ins. IV, pag. 121.

Apterogyna globularis: nigra, cinereo hirta, immaculata, alis brunneo-fuliginosis. — Tab. IV.

Scolia globularis Fabr. Ent. Syst. Tom. II. pag. 237. n. 37.

Hab. in Promontorio bonæ spei, teste Fabricio.

Longit. 8. lin. Parisiens. — Mas. *Antennæ* elongatæ, — longitudine alarum, — filiformes, haud fractæ, insertæ fronti mediæ inter oculos, basi approximatæ, nigræ, nitidæ, 12 vel 13 articulatæ. Articulus basalis brevis, crassior, pallide pubescens, tuberculo insidens; pedicellus brevissimus, vix manifestus; articuli reliqui longiores, subæquales, arcuati, articulationibus aliquantum crassioribus, unde antennæ quasi undulatæ apparent; articuli exteriores subrecti, apicalis attenuatus.

Caput parvum, rotundatum, nigrum, scabriusculum, cinereo hirtum; vertex planiusculus, ocellis tribus in triangulum dispositis; frons valde hirsuta; *mandibulæ* nigræ, *palpi* fusci. — *Oculi* parvi, ovati, integri, minime emarginati, in exsiccato pallidi.

Thorax ovatus, niger, scaber, cinereo hirtus, scutello sat determinato et metathorace declivi concoloribus.

Abdomen nigrum, cinereo hirtum, præsertim ad latera; forma insolita. Constat segmentis septem, admodum inæqualibus; primo parvo, subpyriformi, petiolato, apici metathoracis affixo; secundo magno, subgloboso, et incisuris profundissimis a reliquis valde distincto; tertio maximo, etiam subgloboso, latiore tamen quam longo; — segmenta reliqua brevissima, decrescentia, ad basin lævissima, margine scabra; ultimum subtus aculeo brevi, rigido, recurvo armatum. Segmenta 1 ad 3 supra confertissime striata et punctato-scabra, subtus ad basin scabra versus apicem lævia.

Pedes breviusculi, graciles, nec spinosi, nigri, pallide pilosi; coxæ perbreves; femora modice longa, sublinearia; tibiæ femoribus multo breviores, forma simplici; tarsi femoribus manifeste longiores, tenues, articulis sensim decrescentibus, subtus pilosis.

Alæ corpore breviores, fuliginoso-brunneæ, nervis paucis; stigma multo ante medium alæ situm, nervos costalem et auxiliarem terminans. Sub illis areolæ duæ basales; quarum anterior triangularis; posterior linearis nervo transverso interrupta, nervoque simili definita; sub stigmate areola parva trapeziformis. Alæ de cetero areolis omnino destitutæ, nervis tantum tribus vel quatuor longitudinalibus, obsoletioribus, marginem non attingentibus; subcostali obliquo, libero, intus spectante. Alæ posticæ tantum ad basin nervis tribus brevibus, areolam basalem efficientibus, præditæ, nervorum longitudinalium vestigiis valde obsoletis.

Tab. IV. — Fig. 1. *Apterogyna globularis*, mas, magn. nat.; — 2, os cum mandibulis, labio palpisque antice; 3, labrum; 4, os cum maxillis labio palpisque infra; 5, antenna; 6, alæ; 7, abdomen. Fig, 2 — 7 plus minus auctæ.

OBSERVATIONES VARIÆ.

Circa Papilionem antennis apice moniliformibus.

In specimine Papilionis (Zephyrii) Amor *) antennarum singularem inter Papiliones nobis visos observavimus structuram. Sunt enim ad medium usque formæ ordinariæ, sed clavulæ loco fere moniliformes, articulis 10 vel 12 globosis, aut saltem nodiformibus et valde discretis. Ceterum hæc species nil offerre videtur ex quo peculiare genus suspicari liceat. Ad antennarum tamen insolitam rationem Entomologos attentos facere cupimus, ut ditiorum Museorum possessores observare velint, an utrique sexui sit propria, et an similis inveniatur in speciebus quibusdam Papilioni Amor sat affinibus, ex. gr. Pap. *Aunus* Crameri. **)

De pedibus posticis minutis vel spuriis masculorum in Bombycum quadam specie.

Jam olim observatum est Papilionum plurium pedes *anticos* esse abbreviatos atque ad incessum inutiles, et hanc quidem conformationem aut utrique sexui aut masculo tantum propriam; in Bombycum vero specie americana similem nuperrime observavimus rationem pedum *posticorum*. Sunt enim in masculo anterioribus multoties et graciliores et breviores, in femina vero ejusdem longitudinis et formæ quibus reliqui. Species ejusmodi Cyllopodae appellari possunt, sed vix proprium genus constituunt, cum desit pedum abbreviatio in speciebus nonnullis ceterum admodum affinibus. — Speciem a nobis observatam apud Auctores haud invenimus recensitam, quare decribendam putamus, etsi novam esse haud pro certo habeamus.

Bombyx (Cyllopoda) claudicula: alis atris, anticarum areola baseos triangulari faciaque transversa, posticarum vittis duabus, saturate flavis; abdomine fusco, linea laterali gemina. ♂. ♀.

Hab. in Brasilia, Mus. R. Ac. Scient. Holm.

Habitus fere Bomb. Myrrhæ Cram. T. 29, fig. G. — Expansio alarum poll. 1, cum lineis 2 vel 6. — *Antennæ* nigræ, maris pectinatæ, feminæ simplices. *Palpi* capite duplo longiores, graciles, porrecti, nudiusculi, supra nigri, subtus pallidi, articulo apicali sublineari, nutante. *Lingua* spiralis, distincta. — *Caput* haud hirtum, nigrum, fronte flava. *Corpus* gracile, sublineare, nigro-fuscum, pectore flavo maculato, abdomine linea laterali duplicata flava. *Pedes* in *femina* omnes fusci et ejusdem longitudinis, et tibiis summo apice

---

*) *Hesperia Amor* Fabr. Ent. Syst. III. I. p. 260, n. 7. — *Pap. Triopas* Cram. Tab. 330. fig. G. H. — Herbst Tab. 302, fig. 9, 10.

**) Cram. Tab. 23, fig. E. F. — Herbst. Tab. 291, fig. 7, 8.

bispinosis; in *masculo* anteriores fusci et justæ magnitudinis ac formæ, postici bini vero albi, abbreviati vel spurii, mutici. — *Alæ* integræ, atræ, maculis saturate flavis, nullum marginem tangentibus; videlicet in alis anticis macula basalis triangularis, alæ medium vix attingens, et altera pone medium, oblonga, obliqua. — In posticis vitta vel macula elongata discoidalis, clavæformis; et versus marginem interiorem alia linearis. Fimbriæ brevissimæ, immaculatæ. Alæ subtus omnino concolores.

De ocellis Coleopterorum.

Cl. Dom. Germar docet ocellos adesse in genere Omalii, *) quod insolitum sane et inexspectatum in Coleopterorum ordine. Staphylinios inde ego quoque examinavi. In speciebus Anthophagi generis ocelli duo facile detegendi, versus medium capitis posterioris ad finem sulcorum qui inter oculos siti sunt. Adsunt et in A. caraboide et in A. plagiato, — etsi de hoc genere negare videtur Cl. Germar. In Omaliis plerisque siti sunt eodem loco quo in Anthophagis, in Om. tecto aliisque vero paullo posterius in sulco capitis transverso. Observavi in Om. assimili, tecto, Ranunculi, rivulari, ophthalmico, cæso, pusillo, deplanato, Viburni, crenato, in speciebus obscuris facilius, in pallidis difficilius detegendos. In Om. brachyptero quoque adesse videntur, etsi obsoletiores. Novum ideo offerunt characterem quo distinguantur Catheretes et Omalium. Ob affinitatem Oxyteli cum Omalio ocellos etiam in illo adesse suspicatus sum, sed frustra quæsivi.

De prima observatione ocellorum in Coleopteris cum Cl. Germaro mihi nullum est certamen, dicere tamen licet, jam olim ocellos quosdam me observasse in Pauso bucephalo, eosque sat accurate depinxisse in Appendice ad Schoenherri Synon. Ins. III. Tab. VI, fig. 2, c, — etsi Cl. Gyllenhal, speciem describens, non ocellos sed tubercula verticalia mamillata dixerit.

De Pauso bucephalo Gyllenh., Schoenh.
(Hylotoro bucephalo Nobis.)

Hanc speciem a reliquis Pausis nimis distare et vix ejusdem esse generis facile sibi persvasum habebit, qui, in Schoenherri Syn. III. Append. Tab. VI, figuras hujus et Pausi denticornis comparare voluerit. Etenim in illo et ceteris veris Pausis caput thorace multo est minus, oculi vero magni et prominentes, — cum in Pauso bucephalo caput thoracis latitudine, oculi minuti, et os etiam alio modo conformatnm videatur, alias minoris momenti discrepantias ut prætermittam. Accedunt characteribus supra recensitis *ocelli* — in paragrapho præcedente laudati — unde satis ratio apparet quare hoc insectum proprii sit habendum generis, quod Hylotorus nobis nominatur, intermedium forte inter Pausos genuinos et Platypodes.

De Pauso flavicorni Fabr.

Hoc insectum minime Pausi est generis. Tarsi enim omnes evidenter 5-articulati. Elytris molliusculis, toto habitu atque colore ad Malachios nimis accedere videtur, et ipsa antennarum singularis forma sat bene congruit cum earundem structura in masculis

*) Germar Magazin der Entomologie. IV. pag. 410.

Malachii ænei et specierum affinium. Pausi flavicornis femina nobis haud est visa, quare de ejus antennarum structura sumus inscii, sed insectum ad ulteriorem indagationem in Museo nostro sub nomine Malachii flavicornis militat.

De Molorcho abbreviato Fabr. et Molorcho Populi sic dicto Buttneri.

In Cl. Germari Magazin III. p. 245 Dom. Büttner est auctor Molorchi abbreviati sub nomine duas diversas species esse confusas, quarum unam, M. abbreviatum Fabr. verum, dum sit larva, in Quercu habitare, alteram vero in Populo, unde M. Populi dicendam. Utriusque speciei ambo adesse sexus dicuntur, longitudine antennarum distinguendi. M. Populi distare fertur habitu graciliore, antennis nigricantibus, non nisi ad basin rufis, abdomine antice rufo et segmentis profundius distinctis.

Differentias vero has non spectare nisi ad sexum pro certo habemus, cum Dom. Schoenherr nuper in Populi tremulæ trunco, vetusto sed vivente, M. abbreviati plura invenerit specimina, nuper exclusa et copula juncta. *Mares* semper dignoscebantur characteribus Molorcho Populi attributis; *feminis* erant antennæ rufæ immaculatæ, abdomen nigrum, magis tumidum, unde articulationum interstitia evadebant minus profunda. Antennarum præter colorem et longitudinem nulla erat differentia, etenim in utroque sexu articulus secundus brevissimus, tertius quarto longior et sequentes his longiores, lineares. Articuli quatuor basales in mare rufi.

De Noctuæ pactæ larva.

Svecia Noctuæ pactæ dicitur patria, sed etiam apud nos rarissima est species. Uno tamen anno — 1810 — quatuor legi specimina, quorum erant duo in larvarum statu. Excipulo capiebantur dum — in prædio *Roo* Westrogothiæ — frutices *Salicis cinereæ* vel *fuscæ* executerem, sed depingere et describere neglexi, ad speciem adeo raram pertinere inscius. Memoria tantum teneo subgeometricas, supra cinereas vel griseas, fuisse, — subtus nigras, incisuris pallidis, vel pallidas incisuris nigris; — ceterum molliusculas et inquiete se circumjactantes. (Quantum recordare possum affines videbantur larvæ Noctuæ nuptæ a Roeselio depictæ). Pro certo vero dicam pupam pruina subrosea vel pallide violacea obductam fuisse, qualem N. sponsæ depinxit Roesel. — Per plures dehinc annos in pulchram hanc speciem incidere mihi non contigit.

INDEX.

Synonyma et quæ species tantum obiter memorantur litteris sic dictis *cursivis* distinguuntur.

14

Fig. 2.



Fig. 4.



Fig. 3.



Fig. 1.

Diopsis apicalis

Fig. 2.



Fig. 1.

Fig. 3.



Diopsis macrophthalma.

Fig. 1. b.





Fig. 2. b.



Fig. 1. a.

Fig. 2. a.


Fig. 3.




Diopsis signata.

J.W. Dalman del. Anderson sc

Tab. II.



Agaon paradoxum.



Celyphus obtectus.



Dirhinus excavatus.

J.W. Dalman del.


K.W.A. Handl. 1818.

a






Thyrsia lateralis.



1 a ♂ 1 b





2 a ♀ 2 b












Xyela pusilla.







Hydroptila tineoides.

Dalman del. Anderson sc.









Dalman del. Anderson sc.